



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,  
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

**Młodzianowski, Tomasz**

**Moguntiae, 1682**

Quæstio II. De Processionibus Divinis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)



entiam Entis, est perfectio simpliciter; Ergo includitur in conceptu Divinitatis, adeoque est quid absolutum.

RESPONDETUR. Hæc per se existentia, ut jam dictum est, habetur titulo solius substantiæ, & illius formalitatis, quæ fundat ne illud Ens, sit accidens, estque perfectio simpliciter & absolute, sed non acquilabilis ab aliqua substantia.

OBJICITUR 4. ex Amico. Hic Deus est communis Patri, Filio, & Spiritui S. sed hic Deus includitur substantiam; Ergo Deus secundum communem rationem Deitatis, includit substantiam. Major. prob. quia ly *hic Deus* prædicatur de omnibus & singulis personis. Minor autem prob. quia ly *hic Deus* importat Deitatem in habente; Deitas autem nequit haberi nisi à substantia.

RESPONDETUR. Ly *hic Deus* alio sensu dicitur de personis, alio de tota Trinitate, de singulis personis facit propositionem, ut ita dicam, formalem identicam; quia ex ipso subjecto accipit vim significandi & supponendi pro personis: atque ita cum dico, Pater est hic Deus, sensus est: Pater est persona Deitatis, seu terminat Deitatem: Quando autem prædicatur de tota Trinitate, non significatur per ly *hic Deus*, unitas personæ; sed significatur singularitas & unitas naturæ, ponendo rationem abstractam personæ, à particularibus tribus personis: immo dici simpliciter potest, quod illic agatur, (& ex acceptione humana supponatur) natura singularis Divina.

INSTABIS. Datur unus Deus, ergo & una numero substantia, quia ly *Deus* includit substantiam.

RESPONSUM jam est, nomine Dei venire illic ipsam naturam singularem Divinam, vel ad numerum naturam, quæ sit concretum cum personalitate abstracta. Immo si ly *Deus* supponatur pro natura terminata substantia communis, absolute loquendo falsa esset hæc propositio: Deus generat; non enim talis natura ita terminata generat; quod advertit Arriaga.

OBJICITUR 5. Substantiæ relative personarum non sunt ex se sufficientes, ut per eas Divina natura completè subsistat; Ergo debet dari alia absoluta. Ant. prob. quia substantiæ relative immediate fundantur in actionibus notionalibus, ergo non possunt reddere immediate substantientes, nisi solos actus intelligendi & volendi.

RESPONDETUR. Secundum prædicta principia: Non in actibus notionalibus primò fundatur substantia relativa; sed in priori prædicto; qualis est in patre ratio secundi à se, quam sequitur actio notionalis. Ad vim autem metus termini attendendo, ratio terminabilis, & ratio terminantis ostendunt naturam ipsam terminari; fecunditatem autem à se, terminare, naturam ut ipsa origo per prius terminet natu-

ram, ut supposita terminatione, procedatur ad ipsas actiones notionales.

INSTABIS. Prius debet concipi natura personata, quàm agat; sed ante operationes notionales non supponitur persona relativa. Ergo debet supponi absoluta.

RESPONDETUR. Neg. quod ante operationes notionales non supponatur persona relativa: nam supponitur terminata per formalitatem Originis, quæ est quid prius & relativum.

OBJICITUR 6. Auctor. Rhem. Conc. in quo negatur Catholico sensu posse negari, quin Divinitas sit Deus; posset autem negari, si non haberetur communis substantia.

RESPONDETUR. Concilium illic excludere contra Porretanum vel distinctionem realem, vel alietatem ex natura rei, nec plus intendere.

## QUESTIO II.

### De Processionibus Divinis.

PRÆMITTO 1. *Dari in Divinis veras, & reales processionis.* Tum, quia id habetur in Evangelio; dicit enim Christus D. de se Joan. 8. *Ego ex Deo processi.* Et Joan. 15. *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* Tum, quia si non datur processio, non datur procedens, & à quo proceditur: Si autem hoc non datur, tollitur Trinitas; quia illa ex ratione producentis, & producti confurgit; & si non datur Trinitas, ergo summum bonum non est sui communicativum omni possibili modo; nam talis modus communicandi est possibilis; & tamen per te non datur. Tum, quia datur in Divinis pater, & filius, ergo debet dari & generatio: Si enim non generat, qui pater est? & si non generatur, qui est filius? Si autem datur in Divinis generatio, ergo datur processio: impossibile enim est dari inferius, & non dari superius; sicut impossibile est dari speciem, & non dari genus, generatio autem, est quid inferius processionem. Et hæc suadent processionem in Divinis supposita fide: nam illa non supposita, nulla datur demonstratio de Trinitate: nam vel esset à priori, & hoc non; quia nulla datur causa Trinitatis, nec habetur ulla superior ratio, quæ nobis extra lumen fidei appareat; à posteriori non etiam ulla datur demonstratio, quia nullus est effectus, qui pendeat à Trinitate sub formalitate Trinitatis.

PRÆMITTO 2. *Has Processiones debere esse immanentes.* Ratio, quia supposita fide hæc Processiones pro termino habent Deum; verus autem Deus non potest esse extra Deum; alias tolleretur consubstantialitas, & unitas Deitatis: unde rectè monet S. Thom. hanc processionem non esse accipiendam secundum modum infimarum creaturarum, quæ in exterius agent, agunt.

PRÆMITTO 3. *Duas esse tantum has Processiones in Divinis.* Ratio, quia illas impossibile est



multiplicare non multiplicatis terminis; jam autem termini harum processionum in Divinis non sunt nisi duo Filius, & Spiritus S.

PRÆMITTO 4. *Hunc terminum Processio duplicem sensum facere, ad eum modum, quo distinguit Scotus, Actionem agentem, & Actionem actam; ita ut etiam Processio alia sit à quâ proceditur, adeoque processio Activa, & alia quâ procedit, adeoque Processio Passiva.*

PRÆMITTO 5. *An Processio Activa à Processione passivâ distinguatur realiter? Tenent communiter Auctores cum Suar. l. 6. c. 2. n. 7. quod distinguatur.*

Sed in oppositum hæc est ratio, quia in creatis idem formalissimè in quantum est ab agente, vocatur Actio; in quantum est in Passio vocatur Passio; Ergo etiam eadem processio, in quantum est à principio, erit processio activa, & in quantum est in producto, erit processio passiva. Et sicut idem est, quod Petrus videat albedinem, & quod à Petro videatur albedo, solique termini actionem significantes in verbum passivum mutantur sine ulla distinctione; Ergo idem in præsentī dicendum esset, idque procedit in creatis, non solum supposito quod Actio sit modus entitativus; sed supposito etiam quod sit formalitas, cur non enim quid simile in creatione etiam concipi potest, posito quod illa non sit modus? immo Scotus non admisit modos entitativos, & tamen admisit actionem actam, & agentem.

Circa hanc difficultatem cum distinctione commodius discurritur: Si enim processio Activa, & passiva prout in re est, spectetur, distinguitur realiter: Ratio, quia nihil aliud est nisi principium v. g. generans, & genitum; non enim processio est quid reale præter illa duo: Si ergo illa duo distinguuntur inter se realiter, etiam activa & passiva productio distinguuntur realiter. Si autem accipiat processio secundum quod subest nostris conceptibus, non distinguuntur inter se realiter, quia eadem productio in quantum est à Patre, habet formalitatem Activæ, & in quantum est in Filio, habet formalitatem Passivæ. His præmissis, sit

## DIFFICULTAS I.

*Quodnam sit Principium formale ut quo Processionum Divinarum?*

Non est difficultas de Principio formali Quod: hoc enim est persona, juxta illud; *Actiones sunt suppositorum*: sed tota est difficultas de principio formali Quo; Porro nomine Principii formalis Quo, venit ipsa ratio producendi ut Quo, quæ intervenit suo modo, ut productum ponatur; & ita si Petrus sit filius Pauli, principium quod generat, est Paulus; principium autem formale ut Quo, est ipsa actio generandi. Circa hanc difficultatem divisi sunt

Auctores: seligemus speciales explicationes easque examinabimus. Sit

## Punctum Difficultatis 1.

*Adferuntur aliorum Explicationes.*

EXPLICAT I. Dur. in i. d. 6. q. 2. & d. 27. q. 3. quod Processiones in Divinis, sint operationes naturæ, antecederent ratione nostra ad operationes intellectus & voluntatis, ita ut si per impossibile Deus non esset intelligens, & volens, adhuc esset productivus ad intrâ. Idem sentit Greg. in i. d. 10. 13. q. 2. Sed vindicat eum Vasq. d. 111. quia illius sententia fuit, quod nec ratione distinguatur principium Quo ab ipsa persona, quam solam vult esse principium Quo.

Hanc suam explicationem ita proponit Durandus, quia censet per quandam appropriationem processionem filii tribui intellectui, & processionem Spiritus S. voluntati; nam cum prior processio, ut ex ejus mente loquitur Vasq. sit per intellectum, posterior per voluntatem, similitudine quadam, processio filii in Divinis, quæ prior est, dicitur per intellectum. Illustrat hoc idem apud Suar. l. 1. de Trin. c. 5. n. 2. Si lux Solis esset intelligens, & produceret lumen, eo modo quonunc producit, non produceret illud quæ intelligens est, sed solum ut est talis forma, sic fecunda; ita etiam & Deus Pater non producit Filium quæ intelligens est. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT I. Tum, quia in Script. & PP. appellatur secunda persona Verbum, Sapientia Patris. Imago &c. quæ omnes denominationes illi non competerent, nisi ponatur processio illius, per aliquid lineæ intellectiōis. Idem dicendum conformiter de nominibus Spiritus S. ut sunt; quod sit Amor, Charitas, Dominum, quæ notant seriem voluntatis. Quod si dicas non esse propriè verbum, sed per accommodationem, incidet in hæresin Alogorum, cujus meminit citatus Suar. Et certè si secunda persona est per accommodationem verbum, etiam per accommodationem erit Filius: eadem enim ratione dicitur Verbum, & Filius, immo & per accommodationem Deus; quia dicitur Deus erat Verbum, & opponit se Durando Cyrillus l. 7. Thesauri c. 1. *Verbum Ioannes appellat Filium, & hoc nomen quasi proprium, & ipsius esse filii, maxime significativum, elegisse videatur.* Tum, quia ut urget Suar. nulla ratio reddi poterit; Cur processio Filii sit generatio? cur prior, cur duæ &c. Tum, quia ut instat idem, in omni rerum genere productio vel communicatio naturæ, fit per operationem accommodatam tali naturæ, in re autem purè spiritali, propria operatio, est actus intellectus & voluntatis.

RESPON-



RESPONDET Dur. apud Am. Idèò processio filii est generatio quia filius procedit ab uno, & non à pluribus ejusdem ordinis, quorum quilibet per se esset sufficiens ad totum perfectè producendum: Spiritus autem S. procedit à Patre, & Filio, quorum quilibet est per se sufficiens ad totum perfectè producendum, suntque ejusdem ordinis.

CONTRA. Quia nego hoc, esse rationem formalem constitutivam filii procedere ab uno ejusdem ordinis, & non à pluribus per se sufficientibus ad totum perfectè producendum: & si daretur mulier in alio rerum ordine, potens de se concipere, nunquidne proles illa non posset illo calu dici filius? Non item quòd in solo præcedat Patre in init sufficiens ad principii productionem Spiritus S. nam hoc dicitur esse Amor ad invicem. Nam quòd non perfectius producanturambo, quam alteruter, id notat per modum unitus fieri illam productionem; sed non notat, unicuique de se, inesse sufficientem vim producendi. Denique ut adverteit Amicus, per Durandum solum assignatur discriminem ex unitate, vel diversitate principii; id autem peti debet ex hoc principio, quòd procedatur à vivente in similitudinem naturæ, idque à vivente non materialiter se habente in ratione concurrendi, ut concurrat Adam ad productionem Evæ.

NON SATISFACIT 2. Quia & esset tunc generatio ut supponitur, & non esset, quia non posset ostendi, quòd illa processio sit processio viventi à vivente in similitudinem naturæ: quòd ipsum prob. quia antecedenter ad operationes naturæ Entis spiritualis, quales sunt intellectio & volitio, nullæ aliæ dantur. Quòd ipsum prob. quia pro illo priori vel operatur Deus tanquam nescitivus, vel non operatur tanquam nescitivus: Si operatur tanquam nescitivus, jam necedit à sententia, quā ponebat generationem in Divinis esse antecedenter ad operationem quæ sit intellectio in Divinis; Si autem non est tanquam à nescitivo, formaliter non poterit eam esse tanquam à vivente: nam in imaginabile est vivens nisi vel vegetabile, vel sensibile, vel nescitivum: quam ergo ex his vitam vivet Deus?

NON SATISFACIT 3. Quia pro illo priori, quòd intelliguntur ab operationibus naturæ processiones intellectus & voluntatis, vel non intelligitur Deus in actu secundo intellectivus, vel non intelligitur? Si non intelligitur, ergo non intelligitur habens naturam: quòd ipsum probatur. Quia natura ex Aristot. debet esse principium motus, in Deo autem non potest esse principium motus nisi intellectio; quid enim aliud? nam inter operationes spirituales intellectivi principii prima est intellectio: nec recurras ad ipsam fecunditatem; quia ipsa illa fecunditas, est fecunditas intellectivi spiritualis, & de illa ipsa fecunditate, in quantum

antecedit operationes intellectus; quærere restat, quomodo ei conveniat ratio naturæ? Si autem intelligitur in illo & pro illo priori Deus in actu secundo intellectivus; Ergo non præcedit illa naturæ operatio operationem intellectus, cum pro illo priori jam intelligatur Deus in actu secundo intellectivus. Impugnari etiam potest hæc explicatio per retorsionem argumenti propositi à Durando, de quo infra.

RESPONDERI potest ex Arriaga. In creatura spirituali dantur operationes immanentes, qualis esset emanatio distinctarum potentiarum, personalitatis &c. cur ergo simile quid in Deo non concedatur?

CONTRA. Non de hoc quæratur: An possint dari operationes aliquæ Entis spiritualis, quæ non sint intellectio, & volitio? sed an possit dari, Operatio vitalis? Illæ enim emanationes adductæ, non sunt vitales; generatio autem v.g. in Divinis, est quid vitale. Deinde in creatis potest talis operatio concedi propter multas incomplebilitates in ratione agentis proximè &c. quia verò Deitas est de se completa, non poterunt illi tribui tales operationes.

DICES 1. Cum Dur. PP. non raro dicunt Filium procedere à Patre, natura, non voluntate.

RESPONDETUR. Nomine naturæ intelligunt PP. determinationem ad unum, quòd scilicet determinatus fuerit ad producendum filium, nec per actum liberum applicuerit sese ad producendum filium, & quòd sit filius naturalis, non adoptivus, quòdque procedat in similitudinem naturæ.

DICES 2. Si verbum Divinum procederet per intellectionem, vel procederet per illam tanquam per principium formale quod; & hoc non, quia per Arist. 9. Met. actus immanentes non sunt productivi saltem ut quod: non etiam procederet verbum per intellectionem tanquam per principium formale quo; Ratio, quia intelligere est quid commune omnibus tribus personis; producere autem verbum non est quid commune.

RESPONDETUR retorq. Si principium formale ut quo, est operatio naturæ, esset quid commune omnibus tribus: quia ipsa natura, est quid commune.

Quomodo autem in forma sit solvendum, & qualiter sumpta intellectio sit principium formale ut quo, de hoc infra.

Secunda etiam pars, nempe quòd intellectio non possit esse principium formale ut quod, convictivè non probatur à Durando; quia licet verum sit, quòd actus immanentes creati, & quibus non competit esse personam, non sint productivi; secus sentiendum de actibus Divinis. Bene etiam advertit Arriaga; A creatis in præfenti non valere Consequentiam, alias ex eo quòd nec Angelus, nec anima rationalis producat

R. P.  
H. MŁOD  
NOWSKI  
Sm. de Z.  
VI



ducat sibi simile, inferre liceret, quod Pater non producat Filium, sibi similem.

DICES 3. Cum eodem. Aliorum entium generatio fit per naturam, & non per aliquem actum immanentem; Ergo idem in Divinis.

RESPONDETUR. Vel procedit Antecedens de entibus Spiritualibus, vel de materialibus? Si procedat de entibus materialibus, disparitas erit: quia generatio materialis, debet esse per alterationes extranei: jam autem generatio filii in Divinis tales alterationes & inductionem formæ in materiam non requirit. Si autem Antecedens procedat de entibus spiritualibus, argumentum erit de subiecto non supponente; nam spirituales substantiæ non generantur, sed creantur.

Quamvis autem processio in Divinis sit ex naturæ fecunditate, ly ex fecunditate naturæ non supponet pro operatione naturæ; quæ sit distincta ab intellectu & volitione; sed ex fecunditate naturæ præsuppositâ, quod scilicet exigat esse communicabilis, licet communicatio hæc non exerceatur nisi intellectu & volitione.

Quod autem essentia per Patres spectet ad generationem, docet Ruiz d. 100. f. 2. ubi inter alia recitat verba Joannis Theologi in Concilio Flor. Sess. 18. *Parris persona suppositum est, atque generans, Divina verò natura generativum principium, quo Pater Filium generat:* Sed istud dictum cum restrictione est accipiendum; nempe, quod exigat tres personas.

*Antequam secunda explicatio proponatur,*

SUPPONO explicationem hujus termini *intellectio notionalis*. Et si faciat hunc sensum, quod detur intellectio appropriata ipsi Patri, quæ non importet solam terminationem per personam Patris; sed aliquid intra seriem & lineam intellectiois, talis notionalis intellectio ab omnibus Theologis, merito rejicitur. Deinde ly *intellectio notionalis* potest facere hunc sensum, intellectio communis, prout tamen terminata personalitate Patris, & hanc admittunt Theologi. Quod autem illa prior rejicienda sit; Ratio est, quia viillius vel ponitur notitia aliqua in Patre, quam non habeat Filius, & sic deberet poni quod attingat objectum aliquod Patris, quod non attingat Filius, inferreturque Filius & Spiritus S. non esse omniscios. Si autem dicas illam intellectioem notionalem importare modum aliquem noscendi, si hic ipse modus sit de serie, & linea noscendi, deberet Pater, vel clarius, vel confusius, vel universalius, vel particularius, vel divisive vel compositivè &c. noscere objectum, quo modo non noscat Filius, & Spiritus S. & hoc dici non potest; quia in alterutra parte deberet in modo noscendi inveni imperfectio in personas Divinas, aut in personam etiam ita noscentem. *Hoc supposito*

EXPLICANT 2. alii. Quod intellectio sit principium formale quo, processiois Filii, & amor Spiritus S. restringendo intellectioem & amorem, per personalitates; ita ut principium formale quo generationis Filii, sit ipsa communis intellectio, prout affecta paternitate: quæ in sententia adhuc divisi sunt Auctores: Aliqui enim dicunt quod personalitates habeant nonnisi rationem Conditionis sine quâ non, qualis est Ariaga d. 45. a. n. 15. & quod in recto non importetur, docuit Ruiz d. 100. S. 4. n. 8. Alii dicunt, quod ingrediatur paternitas ipsam rationem formalem principii, qualis est valentia. Alii dicunt, quod intellectio sit nonnisi remotum principium, immediatum autem ipsa paternitas: Ita Lugo ut fertur in m. f. Alii dicunt cum Amico, quod intellectio & amor sint principium formale quo communicationis; Personalitas autem, est principium formale quo, productionis.

NON SATISFACIT 1. Hæc explicatio universaliter in quantum quomodocunque principium formale tribuit paternitati; quod prob. Ratio formalis quo principii prior est, intelligibilitate, quàm sit Filium esse productum, quia omnes rationes formales, habent se quasi via, quasi medium, quasi actio in creatis; quasi unio &c. quæ omnia sunt priora, ergo paternitati ratio principii formalis quo, annexi non debet; quia paternitas, ut dictum supra, pullulat ex suppositione productionis filii: non enim ut repetito dictum: Ideo generat prima persona, quia est Pater, sed ideo est Pater, quia generat.

NON SATISFACIT 2. In quantum rationem principii formalis ut quo, tribuit intellectioi communi. Tum, quia illa intellectio communis, esset ad minimum inadæquatam principium filii, ergo & Filius esset inadæquatè principium sui ipsius; nam quantumvis illa intellectio nonnisi prout affecta paternitate sit principium ut quo, non excludit tamen intellectioem: hinc ex parte intellectiois, producat se ipsum Filius; ad eum modum, quo puer prout ducente pædagogo format bonos characteres; nihilominus & ipse illos format: item ad eum modum, quo intellectus prout elevatus concurrat ad visionem, nihilominus tamen & ipse, illam producit. Tum, quia si aliquis diceret natura prout terminata paternitate producit filium, merito rejiceretur; sequereturque quod filius à parte naturæ, producat seipsum inadæquatè: Ergo idem dicitur, si ponatur intellectio communis prout affecta paternitate, esse principium formale ut quo. Tum, quia produciens ut quod, debet esse realiter adæquatè in ratione producentis distinctum à producto, v. g. filio, ergo idem dicendum de principio formali ut quo productionis, quod non esset adæquatè distinctum à Filio, si importaret intellectioem essentialem, quæ ratio infra etiam attingetur.

NON



NON SATISFACIT 3. Tum, quia *si ponatur* *veritatem esse non nisi conditionem*, modus hic explicandi hoc deficit, quia conditioni sine qua non, non tribuitur ratio producendi; neque enim applicatio ignis urit, & tamen determinatio intellectus communis, tribuitur ratio producendi: quod ipsum prob. quia si determinatio intellectus communis, non tribueretur ratio producendi, non salveretur distinctio realis inter producentem quā tale, & productum, si quidem illud restrictivum, quod solum distinguitur realiter, non produceret; ipsa autem intellectio, non distinguitur realiter à producto. Tum quia, quod dicitur Principium formale quo in obliquo importare paternitatem id non convincit, quia rectum & obliquum non spectant ad qualificationem de re, ante autem omne opus intellectus, debet dari dictio. Alias rationes solvit Arriaga propositas à Ruiz. *Non potest etiam dici, quod principium formale quo sit ipsa formaliter paternitas*; nam hæc ut dictum supra, non potest habere rationem prioris. Rursus, non salvat commodè phrasen PP. qui dicunt, *filium esse de sapientia Patris*, cuius dicti non potest esse sensus; Filius est de paternitate Patris: & in hac sententia ægrè ostenditur, quomodo productio Filii, sit generatio; nam in generatione productum, quā productum est, debet esse simile producenti, quā producentis est; quomodo autem filius est similis, si non est similis in paternitate; unde etiam in creatis paternitas non est principium producendi. Deinde advertit bene Arriaga, quod in humanis ad denominationem filii sufficiat hoc solum, ut sit ex semine, seu illud concurrat efficienter, si ve non: unde in sententia semini materno negante concurrunt effectivum, dicitur nihilominus proles esse filius v.g. quod sine dubio in Divinis falsum est, qui enim diceretur filius esse ex substantia Patris: Si non se haberet productivè Pater respectu filii.

Quod paternitas habeat se non nisi per modum conditionis sine qua non, adfert aliqua argumenta Arriaga; cum quo

DICES 1. Aug. docet, quod Verbum sit ex sapientia Patris, & ex memoria fecunda; Errorem sapientia, seu memoria fecunda erit principium filii.

RESPONDETUR. Independentè à principio mox ponendis, concedendo totum; sed inde non sequitur, paternitatem non esse principium formale quo unā cum memoriā fecundā, cum non sola memoria fecunda, sed memoria Patris dicatur esse hoc principium.

DICES 2. Joan. Theologus Sess. 18. in Florentino ait. Principium quo persona generat, est solum id, quod communicabile est.

RESPONDETUR potest in oppositum esse auctoritas communis, *essentia non generat*, adeoque generat id quod communicabile est, ipse

Joannes Sess. 19. consentit dicto axiomati; propterea tamen non sequitur, ut ex substantiā secundum suum esse commune, & absolutum principium sit per quod &c. Citatis ergo, ab Arriaga verbis, id solum vult significare: quod ex præsupposita naturæ fecunditate, jureque communicabilitatis, persona Patris generet, quam explicationem, aut similem omnes adhibere debent, qui contra Durandum tenent essentiam non generare. Addit Martinon d. 24. n. 56. quod Joannes Theologus fuerit quidem vir doctus, erravit tamen in multis: dixit enim Sess. 18. processionem in Deo esse viam ab uno ad aliud; & tamen in Trinitate non est aliud. Dicit item essentiam non generare; esse tamen principium quo generatio fit; quod perinde est ac dicere Colorem non calefacere, esse tamen principium quo calefactio fit. Usurpat etiam hunc terminum, quod generatio divina fiat, quod meretur trutinam, quia si verba procedant de activa generatione, falsa est propositio, quia illa non fit, sed est principium generandi; Si autem procedat de passiva generatione, falsa itidem erit, quia dicimus genitum non factum: ponuntur ergo verba Joannis Theol. ut sciretur quid locutus fuerit in Florentino, non autem quasi omnia hæc senserit Florentinum.

Deinde doctrina Florentini videtur respicere hoc principium PP. quod scilicet Consubstantialitas, non nisi ratione ejus datur, quia una persona, ab alia procedit, hinc Basiliius Epist. 300. negat Fratres posse dici Consubstantiales, quia à se non procedunt: non esset autem consubstantialis Spiritus S. utrique, quod idem est naturā non procederet, si ab utroque non produceretur.

## Punctum Difficultatis

tis 2.

Explicatur ratio principii formalis Quo in Divinis.

PRÆMITTO 1. Non posse rationem principii formalis quo poni in Divinis rationem aliquam restrictam, & simpliciter absolutam. Ratio, Quia si inter producentem & productum debet esse distinctio realis; nihil enim producit seipsum; multo magis debet esse distinctio inter rationem formalem quo proximam, & inter productum; tota enim ratio distinctionis inter producentem & productum, quā tale petitur ex ratione formali quo producendi, tanquam forma proximā constituyente producentis: quod si debet esse talis distinctio inter rationem formalem quo & productum, sequitur quod illa ratio non possit esse quid absolutum; nam absoluta sunt communia. Vide Ruiz d. 100. f. 3.

PRÆMITTO 2. Rationes, quæ restringunt formalitates absolutas, sunt, quæ ad hæc quatuor denominanda capiuntur. Notio, Relatio, Proprietas,

R. P.  
H. M. LOD  
NOWSKI  
Sim. de. Z.  
VI



prietas, & Proprietas personalis, quæ denominationes inter se intra eandem personam nec realiter nec virtualiter physice distinguuntur, sed conveniunt ratione diversarum formalitatum: notio enim dicitur, id, quod est ratio noscendi unam personam ab alia, quia distinctam. Relatio est ratio referendi unam personam ad aliam. Proprietas est aliquid uni personæ non nisi exclusivè ad alias conveniens. Denique personalitas est ratio constitutiva personæ, in ratione personæ.

PRÆMITTO 3. *Quamvis hæ formalitates inter se non distinguantur virtualiter, nihilominus distinguuntur virtualiter ab ipsa natura.* Unde fieri poterit, ut quod convenit in sensu formali illi formalitati, id ne materialiter quidem conveniat ipsi prædicato naturæ: & de hac tali formalitate in præsentī discurrendum est, assignando talem formalitatem quæ habeat hæc requisita, in primis ut salvet distinctionem realem inter principium formale quo, & inter productum. Secundò, ut ostendat habere illud principium quo, rationem prioris præ producto. Tertiò, ut salvet rationem proximi, & quidem ut ita sit ratio proxima, ut simul sit propria principii originativi.

DICENDUM est. *Principium formale quo processionis Filii est Dictio; & principium formale quo processionis Spiritus S. esse Spirationem activam.* Est Conclusio in substantia Scoti in 1. dist. 2. q. 7. & d. 27. q. 1. & 2. hanc sententiam appellat Suar. hicl. 1. c. 7. n. 4. sententiam S. Aug. Anselmi, Fulgentii, D. Thom. Pro ea facit Ruiz d. 60. f. 1. n. 3.

PROBATUR 1. Auctoritate.

1. Auctoritas est sacræ Script. nam æterna Sapientia dicit de se; *Ego ex ore Altissimi prodii.* Ubi certum est loqui æternam Sapientiam de sua processione, quam proportionat prolationi, seu dictioni factæ, ab ore paterno. Eoservit locus ille Psal. *Dominus dixit ad me; Filius meus es tu, ego hodie genui te:* quasi innuens, quodnam sit illius principium processionis, nempe dictio; *Dixit ad me; Filius meus es tu,* quo sensu hunc locum accipi debere, supponit Cyrillus l. 1. in Joan. c. 4. Gregorius l. 32. Moral. c. 6. *ipse vox, quia cum Pater gignendo dixit; Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Eoservit locus ille Psal. 61. *Semel locutus est Deus,* quam locutionem accipit Aug. pro generatione, adeoque pro processione formali quo Verbi, dum ait; *Semel locutus est Deus,* quia unum Verbum genuit, & Greg. l. 23. moral. cap. 11. explicans dictum locum; *Loqui Dei, est Verbum genuisse, semel autem loqui, est Verbum aliud, præter unigenitum, non habere.*

2. Auctoritas est PP. Primus locus est August. qui l. 15. de Trin. c. 14. ait; *Patrem dicendo se, producere sibi Verbum æquale,* & lib. de Cognitione veræ vitæ, qui habetur tom. 9. operum Aug. c. 17. cum numerasset triplicem acceptio-

nem Verbi, subdit; *Hoc tertio modo Deus Verbum suum genuit, cum seipsum cogitando dixit.* Vide Petavium l. 6. c. 4. à n. 6. Ruiz citatum &c.

Secundus Locus est Athanasii Ep. de Decretis Nicenæ Synodi. *Si concesserint Deum non nisi semel Verbum proferre, fieri non potest, quin cognoscant, eum ita loquentem, Verbi sui Patrem esse.*

Tertius Locus Richardi de S. Victore. l. 6. de Trin. c. 13. *Interna locutio agit auctore Patre solo; nam solus Pater dicit.*

PROBARI potest secundo ex Ruiz. Secunda persona est propriè Verbum; Ergo principium illius productivum est propriè Dictio; non enim aliter inter se proportionarentur principium, & principium formale quo; & sicut dictio in creatis est formale principium Verbi, ita & in Divinis.

PROBATUR 3. Illud est principium formale quo, quod salvat illa, de quibus actum præmissio tertio: Sed dictio est talis; nam in primis illa dictio est virtualiter distincta à natura & intellectione communi: & est virtualiter in distincta ab ipsa paternitate, & constitutivo primæ personæ; Ergo & poterit distinguere realiter à producto, sicut distinguitur Pater, & ostendere, quomodo natura non generet, nec intellectio communis, adeoque quod filius non producat se ipsum. Rursus, dictio habet rationem prioris, non enim idè est dictio, quia est Verbum, seu secunda persona, sed idè est Verbum, quia est dictio. Est quid proximissimum: Quid enim inter Dictionem & Verbum mediat: est enim appropriata ipsi Patri, ut innuit Richardus, & infra dicitur.

OBJICITUR 1. Auctoritas PP. Athan. dial. de Trin. ait; *Patrem hypostasi suâ gignere.*

RESPONDETUR. Hypostasi gignere Patrem, non tanquam Ratione formali gignendi, sed tanquam Principio quod, immediato. Phrasis illa PP. quod Filius sit de Sapientia Patris, contra nos non facit, quia dictio spectat etiam ad lineam intellectualitatis, adeoque ad sapientiam, licet ipsa paternitas non sit (nisi fortè materialiter) ratio formalis generandi. Aug. l. 5. de Trin. c. 5. dum ait; *Eo ipso dici Patrem & esse Patrem, quod ei sit Filius:* id contra nos non facit: Concedimus enim locum ut sonat; nam etiam in creatis idè est aliquid Pater, quia habet filium, eò quod hæc denominatio, sit relativa ad filium; & tamen non sequitur, quod in creatis Principium formale quo generationis, sit paternitas.

OBJICITUR 2. Indubiè præter intellectiōnem, & volitionem prærequiritur adhuc persona produciens; quia si generare est proprium Patris, debet hoc illi convenire ratione alicujus, quod sit proprium Patris: in Patre autem præter essentiam nihil est proprium, præter relationem paternitatis; Ergo ad generare requiritur paternitas.

RESPON-



RESPONSUM supra Relatione non constitui primo personam primam; & licet Pater præter essentiam non habeat quidquam virtualiter sibi condistinctum; habet tamen aliquid condistinctum formaliter, & prius ratione in ordine ad nostros conceptus, cum fundamento in re.

OBJECITUR 3. Nec dum hac explicatione salvari, quomodo filius non se producat saltem inadæquatè?

RESPONDET Arriaga. Unam rem posse esse causam sui ipsius, dummodo supponatur existens per actionem adæquatè ab alio procedentem; unde si una res existens jam per unam actionem potest esse causa etiam sui ipsius, multo magis intellectio Divina, existens prius cum potentia, poterit esse principium filiationis.

NON SATISFACIT. Tum, quia etiam in Creatis, dum aliquid producit seipsum secundò, nullo modo distinguitur realiter à seipso; & tamen in Divinis inter producentem & productum supponitur esse distinctio realis. Tum, quia non apparet, quid aliquid nescio quomodo circumscriptum, sit causa sui ipsius? Si ab illo illa actio non procedit, ut procedere non potest; cum paternitas per illum habeat. Tum, quia exemplum ex Physicis impertinens est; nam reproductio in Divinis, vel replicatio locum non habet. Tum, quia secundum hanc responsionem posset actio ordinata ad filiationem producendum, eadem ordinari ad producendum paternitatem. Nec recurrat ad fidem oppositum docentem; quia illa oppositum docet ex titulo productionis & producti, quos tu in Divinis posse identificari dicis. Itaque aliter.

RESPONDETUR 2. Ne inadæquatè quidem Filius producat seipsum, quia illa dictio distinguitur virtualiter intrinsecè ab intellectione communi, & est ita propria Patris, à quo virtualiter indistinguitur, sicut ipsa paternitas: sicut ergo si poneremus solam paternitatem, esse principium formale quo productionis, non posset inferri, quod Filius inadæquatè producat seipsum, nec inferetur in præsentia; cum illa, ut dixi, dictio, sit indistincta virtualiter à paternitate, distincta virtualiter à naturâ & intellectione communi.

#### Ad solvendas alias Objectiones.

NOTO 1. Dictionem posse sumi & strictè & amplè: Amplè sumitur, pro intellectione, quæ est communis toti Trinitati; & ita loquitur frequenter Anselmus in Menologio. Inter alia cap. 34. Idem ait esse summo Spiritui scire, quod intelligere, seu dicere. Etc. 61. quarens; cum Pater, & Filius, & Spiritus S. unusquisque seipsum, & alios ambo dicat, an sint tres dicentes? respondetque, non esse tres dicentes, quamvis singu-

lus quisque sit dicens, ubi ut vides, omnibus dicere adscribitur.

Secundò sumitur dictio pressè pro Locutione, cui respondet Verbum tanquam quid productum, & hæc locutio est solius Patris.

NOTO 2. An dicere prout condistinguitur ipsi naturæ, ita sit appropriatum Patri, ut etiam condistinguat ab intellectu? Circa hoc punctum Scotus in 1. d. 2. q. 7. & d. 27. q. 1. & 2. ita discurrit, ponit intellectum Patris in actu primo ad intelligendum, & dicendum, quem juxta phrasin Aug. appellat, Memoriam fecundam: dicit deinde ab ipso intellectu, duos promanare actus, nempe Intellectionem & Dictionem, quorum neuter sit ab altero, nec ratione alterius; sed è memoriâ fecundâ Patris: & utrumque est veluti concomitanter ab intellectu fecundo: Dicit rursus, Dicere, & Intelligere, esse aliquo modo inter se distincta, tribuitq; illis distinctionem ex natura rei nemine cogitante. Sed hæc distinctio aliàs est impugnata. Ut circa notatum plenior resolutio ponatur.

ASSERO 1. In re non dari intellectum Patris, qui sit in actu primo physico ad intelligere & dicere. Ratio, quia in Deo qui est actus purus, nulla datur potentia: Nihilominus ex modo concipiendi, ut alibi dictum, ponimus in Deo actum primum intelligendi.

ASSERO 2. Huic actui primo, potius debet tribui ly: dicere, quam intellecti, prout concipitur à nobis ipsa intellectu producta ab intellectu. Ratio, quia etiam in Creatis unus actus intellectus, non producit alium.

ASSERO 3. Ipsum dicere esse idem realiter cum intellectione. Ratio, quia non habet majorem distinctionem præ ipsa paternitate, quæ identificatur realiter intellecti.

ASSERO 4. Formalissimè etiam acceptum dicere, est de genere & linea ipsius intelligere. Ratio, quia verbum hoc proportionatur Verbo mentis nostræ; hoc autem est ipsissima intellectio, & dictio interna, est intellectio. Deinde ut advertit Suar. si dicere non pertineret ad lineam intelligendi, cur diceretur Actio intellectus? & cur appellaretur nomine Dictionis? quæ enim non habent intellectum, non dicuntur loqui, sed garrere.

ASSERO 5. Formalissimè acceptum dicere, quamvis sit de genere & linea ipsius intelligere, distinguitur tamen virtualiter ab ipsa intellectione communi. Ratio, quia dicere est proprium Patris, intelligere commune.

Sed quid importat ipsum dicere in illa sua specialitate?

SUPPONO. Aliud esse intellectiōnem, aliud dicere activum, aliud verbum, & dicere passivum. Intellectio, & dictio quomodo distinguantur, pendendum est ex proportionem ad intelligere & dicere vocale seu externum. Concipimus itaque intellectiōnem quasi quid antecedens



cedens & prius; non enim ideo aliquis intelligit, quia loquitur, sed ideo loquitur, quia intelligit: ipsum etiam dicere activum, quod alii appellant Intellectionem, vel Verbi factionem, concipimus ut viam, ad ipsum dicere passivum, & ad Verbum; quæ via appellatur, ratio principii formalis Quo. Quæ omnia ad præsens institutum sic accommodantur. Intellectio supponit pro notitia prædicatorum objecti. Dicitio supponit pro activa manifestatione illorum prædicatorum, vel pro productivitate manifestationis: & Verbum supponit pro ipsa manifestatione in actum deducta. *His suppositis.*

Dicitio in sua specialitate importat ipsum exercitium fecunditatis paternæ & locutivitatis, quod se habet per modum principii ut quod ad productionem Verbi. Quomodo autem productio hæc Verbi sit generatio, infra est ostendendum.

NOTO 3. Quid sentiendum sit: An scilicet in Divinis detur Verbum essentiale, seu commune omnibus tribus personis? Concedit illud Martinon d. 24. f. 1. n. 5. Citatur pro hac sententiâ S. Thom. in 1. dist. 27. q. 2. a. 2. Capreolus, Ferrariensis apud Suarez negantem, l. 9. de Trin. c. 3. Sed negat idem S. Thom. 1. p. q. 34. a. 1. Cajetanus, Bonavent. Scotus, Gabriel, quibus accessit Ruiz hic d. 60. f. 3. etsi cum aliqua limitatione.

Hæc sententia Suarii longè est expeditior, sunt quidem locutiones PP. aliquorum, qui nomen Verbi etiam ad Spiritum S. transferunt, dicuntque illum esse Verbum Filii. Ita Basil. 5. contra Eunom. Marius Victorinus adversus Arium. Idacius lib. adversus Varimundum vocat Spiritum S. *verbum Dei*, quæ loca citat Petav. de Trin. l. 7. c. 7. n. 5. sed hæc locutiones PP. explicatione indigent. Hinc S. Thom. Basil. locum ita interpretatur, ut Spiritus S. dicatur esse verbum filii effectivè, in quantum Sancti ab eo inspirati de Filio sunt locuti. Sed hæc explicatio indiget alia explicatione, quia eodem jure Filius Spiritus S. verbum appellari deberet, quia Spiritum S. ita nuntiat. Potius itaque id ita intelligendum est, quia scilicet communicat Filius essentiam Spiritui S. producitque ejus personam, quæ productio manifestat illius fecunditatem, nec tamen hæc locutiones trahi possunt, ut ostendant dari aliquod verbum essentiale & commune.

Rursus, quamvis omnes tres personæ Verbo hoc est secunda persona dicant; nam Pater dicit Verbo quasi proferens verbum, & producens; Filius dicit Verbo tanquam seipso dicens; Spiritus S. loquitur Verbo quia ut ait Ruiz d. 60. f. 6. n. 5. in suo intellectu essentiali habet verbum manens; exinde tamen non sequitur, dari Verbum respondens essentiali intellectioni. Ratio est. Tum, quia nullibi PP. meminerunt Verbi essentialis. Tum, quia aliquæ locutiones eo-

rundem illud excludunt. Unde Anselmus; *Impossibile tamen est in summa essentia, esse Verbum aliud, præter illud, de quo jam constat.* Et Cyrillus l. 7. Thesi. c. 1. ait; *Verbum esse nomen proprium filii.* Similia habet Aug. 5. de Trin. c. 13. & l. 6. c. 2. l. 7. c. 1. & 2. Tum, quia de ratione Verbi proprii est, ut sit verè & realiter productum, ut constat ex doctrina PP. & Scripturæ; præter autem duas personas: nihil est productum in Divinis.

NOTO 4. Quoniam de volitione & intellectione Divina repetitò incidit mentio hoc tractatu, quænam sint de illis in principiis nostris dicenda; Inprimis non esse necesse distingui virtualiter à naturâ intellectionem & volitionem communem; circa quam agebat Aldrete ubi de distinctione virtuali: Ratio, quia nulla hujus necessitas. Deinde etiam intellectio & volitio prout est principium quo in Divinis, si spectetur phrasim PP. potest non distingui virtualiter, & de hoc agebamus discutiendo argumentum pro Præcisionibus. Denique si attendatur, ad modum hunc defendendi, postea ponendum, cur processio Verbi sit generatio? necesse erit ad commodius salvandum ponere hanc distinctionem.

## DIFFICULTAS II.

*Ex quorumnam objectorum notitia, vel amore sit processio in Divinis?*

Objecta possunt cogitari duplicia, principali divisione: nempe Increata, & Creati. De utrisque agendum erit.

### Punctum Difficultatis I.

*Quid sentiendum de objectis Increatis?*

Quæ dicuntur hic de verbo, eadem proportionaliter dicenda erunt de Spiritu S. Et quidem non est difficultas Verbum procedere ex notitia essentiae Divinæ, itemque Spiritum S. ex ejusdem amore. Ratio, quia id non implicat; Ergo est: nam in Divinis de his, quæ sunt ad intra, rectè procedit argumentum, ex possibili ad actum: & si ex alicujus objecti notitia, vel amore procedit persona Divina, multò magis ex notitiâ, vel amore essentiae procedet, quia hæc indubiè est primarium intellectus & voluntatis Divinæ objectum.

Nec est difficultas, quòd verbum procedat ex cognitione attributorum; quia si procedit ex cognitione essentiae intuitivâ, & perfectissimâ, hoc ipso procedit ex cognitione attributorum; quorum essentia radix est; præcipuè cum ipsa attributa nihil aliud sint, quàm ipsa essentia cum aliis & aliis connotatis.

Diffi-



Difficultas itaque est de personis: An ex cognitione paternitatis, filiationis, spirationis patet procedat v. g. Verbum? Aliqui cum Scoto negant, cuius mentem explicat Suar. de Trin. l. 9. c. 4. Alii cum Vasq. q. 142. c. 4. censent ex notitia Spiritus S. non procedere Verbum. Alii asserunt, sed dicunt illam notitiam esse abstractivam, qualis fuit Zumel favente Cajet. Alii dicunt procedere ex notitiâ intuitivâ, & etiam amore omnium personarum, talis est Suar. cit. n. 4. Amicus d. 26. n. 87. Ruiz d. 61. S. 2. Arriaga d. 52. n. 21. Martinon d. 24. n. 76.

DICENDUM EST. *Ex omnium trium personarum notitiâ procedere Verbum. Idem dicendum proportionaliter de Spiritu S.*

PROBATUR 1. Ex Ruiz. Propter formatam & explicitam rationem producendi Verbum requiritur intellectio cuiuscunq; veritatis, quæ dicitur & exprimitur per illud Verbû; quia hoc Verbû tale quaeritur, quod sua quidditate, habeat esse expressivum cuiuscunq; veritatis: inter veritates autem Divinas sunt istæ propositiones: Pater æternus existit, Filius existit, Spiritus S. existit &c. Igitur istæ veritates exprimiuntur per Verbum. Deinde quidquid est in Patre, totum id per Verbum dicitur; at in Patre immixtus est non modo Deitas, & paternitas, sed etiam suo modo est Filius & Spiritus S. tanquam indissolubiliter coherens non modo cum eius essentia, sed etiam cum ejus personâ. Ergo.

PROBATUR 2. In illo signo originis quo apprehenditur communiter, quod origo v. g. filii præcedit originem Spiritus S. vel existit jam prolatu existentia Spiritus S. vel non existit: idemque dic de filio ipso: Si non existit, ergo non est æternus, ergo nec est Deus: Si existit, ergo illum Pater existentem novit: Ergo ex illa notitiâ, poterit adhuc originari filius, quid enim dicitur: præcipue cum hîc attendatur ad notitiam prout in re habentur.

Deinde non datur in Divinis alia prioritas nisi Originis, quæ in hoc stat, ut in quo signo supponitur existere originans, in eodem signo supponatur existere originatum; quamvis nonnisi originante procedens: sed si non procederet ex notitia visionis personarum, ipsum v. g. Verbum, daretur prioritas alia, quàm originis in Divinis. Ergo. Minor prob. Quia ex una parte non posset dici id non noscere Deum, quod existit, alia esset non omniscius, ergo cum existant omnes personæ, nosci debent. Ex alia parte si ex illorum notâ existentia, non procederet Verbum, non posset aliud ostendi fundamentum, nisi ponendo præter originis prioritatem etiam aliquam aliam.

Deniq; in signo originis Filii, vel attinguntur personæ, ut nonnisi possibiles? & hoc non, quia nec de facto existunt: vel ut existentes, quid eripderit, ne intuitive noscantur: consequenter ex notitiâ illarum originetur v. g. Verbum.

PROBATUR 3. Quia tota ratio asserendi oppositum est, quia est posterior origine Spiritus S. & quia est prioritas ipsius originis præ originato; & tamen seipso Filius v. g. non est prior: sed neutrum horum probat, quod Filius non procedat ex notitiâ Spiritus S. & sui: quod prob. Tum, quia prioritas originis non excludit simultatem durationis: hic autem attenditur ad simultatem durationis, præcipue verò, quia prioritas Filii præ origine Spiritus S. est prioritas conceptibilitatis; hic autem agitur de notitiâ, quam debeat supponi de facto habens tunc Pater, ex quâ aliâ non repugnet poni, dictas originationes. Tum, quia si rigorosissimè loqui velimus, quamvis Filius sit origine posterior Patre; non tamen origo Spiritus S. est posterior origine Filii. Ratio, quia illa dicuntur esse posteriora origine, quorum unum respectu aliud est ut productum, ut originatum, ut habens esse à: sed una origo respectu aliud non se habet ut originatum, quia una origo non producit aliam originem, sed producit suum terminum. Quod si non est posterior, cur ex illius notitiâ procedere non poterit Filius? Et agendo directius contra Vasq. si potest ex notitiâ sui originari Verbum, nec tamen esse quid posterius se & prius, cur idem non dicetur de notitiâ originis Spiritus S. Tum, quia dum Pater noscit se, & suam essentiam seipse & suâ essentia non est prior: Ergo etiam cum ex notitiâ sui originabitur Filius, vel ex notitiâ Spiritus S. non sequetur hæc quæ vitatur in præsentia prioritas.

OBJICIT 1. Vasq. si ex cognitione Spiritus S. procederet Verbum, sequeretur Verbum esse imaginem Spiritus S. siquidem ab illo tanquam objecto procederet: & sicut pictura est imago Cæsaris, licet ab illo non procedat secundum esse physicum Cæsaris, sed tantum secundum esse cognitum, quod Cæsar habet in mente pictoris; ita & Verbum ut sit imago Spiritus S. non erit opus, Verbum, realiter procedere à Spiritu S. sed sufficit procedere illud per cognitionem Spiritus S.

RESPONDETUR. Ad rationem imaginis non sufficere similitudinem, sed præterea requisitam esse originem, vel mediatam, vel immediatam, adeoque vim producendi. Fundatur hoc in auctoritate Anselmi Menol. cap. 60. quam recitat Ruiz, ubi dicit de Spiritu S. *illum verò (supple Filius) non imitatur, nec ad ejus similitudinem existit, quia iste, non habet ab illo esse.* Similia habet Aug. citatus apud Amic. n. 189. & ratio est, quia quando exemplar format antecederet artifex ædificii futuri, illud exemplar non appellatur imago; sed potius exemplar, modellus, & alia similia, idque solum ex eo, quia nec mediâtè ædificium concurret ad illud exemplar. Cum ergo solus Pater sit ita objectum cognitum, ut simul sit principium productivum similitudinis, nonnisi illius solius

R. P.  
H. MŁOD  
NOWSKI  
om. de. Z.  
VI



imago erit Filius. Quod allatum est de Cæsare, pro responsione facit, quia ipse Cæsar visus olim, & sui speciem relinquens, causat mediatè illam suam imaginem.

INSTAT VASQ. Quia quamvis concedatur Patrem intelligere Verbum & Spiritum S. restat quaestio, quid nostro modo intelligendi concipiatur, ut principium, etiam per modum objecti necessarium ad productionem Verbi? non autem quid sub eandem cognitionem notionalem, cadat comitanter? Illa verò intelligitur ut sola, & sufficiens ratio, quæ si non esset, quæcumque aliâ hypothesi impossibili posita, non posset esse filius; jam autem hypothesi impossibili posita, quod non esset Spiritus S. Filius, nihilominus ex vi sui principii posset intelligi.

RESPONDETUR. Omnium trium personarum notitiam, esse objectum necessarium ad productionem Verbi, aliàs verbum non esset adæquatè expressivum notitiæ Patris. Quod autem concomitanter se tunc non habeat notitia Spiritus S. præter allatas pro Conclusionem rationes hæc etiam facit; quia possibile esset aliud perfectius verbum magis universale & adæquatum, nempe expressivum etiam notitiæ v.g. Spiritus S. Per impossibile autem si non esset Spiritus S. procedere quidem adhuc potest Verbum, sed non esset idem, neque æque perfectum; ad eum planè modum, quo in omnium sententia si Spiritus S. non procederet etiam à Filio, non esset idem Spiritus S. & sicut tunc non esset eadem notitia in Patre, quam nunc habet, ita nec esset idem verbum.

OBJICITUR 2. Mens S. Thom. qui i. p. q. 35. a. 2. docet; *Rationem imaginis in Divinis non attendi penes notionalia, sed penes essentialia.*

RESPONDETUR. S. Thom. esse pro nobis expresse hic q. 34. art. 1. ad 3. *Pater intelligendo se & Filium & Spiritum S. concipit verbum, ut sic tota Trinitas verbo dicatur*: locus autem citatus intelligi debet ut illum explicat Amicus, intelligibiliter exprimere notionalia, non est perfectio notionalis, sed essentialis.

OBJICITUR 3. Ex Scotistis. Quod sic proponit Amicus. Ex illa notitia per se procedit verbum, cuius objectum, per se, est principium productionis Verbi; quia omne objectum, est principium intellectus ad verbi productionem: hoc autem non potest esse nisi essentia in sola paternitate existens; quia Filius, & Spiritus S. cum sint origine posteriores, nequeunt esse principium productionis verbi; cum nullum posterius, possit esse principium sui prioris.

RESPOND. Alia est hæc propositio, ex cuiusnam objecti notitia procedat Verbum? & alia, objectum, quod illa notitia exprimit, est principium productionis verbi; prima est vera etiam de Spiritu S. sed etiam de ipsa essentia, posterior falsa; cuius contrarium assumit Major; neque enim essentia, est principium productio-

nis Verbi, de quo hic; cum essentia non generet, licet notitia essentia, sit requisita, ad productionem verbi. Probatio illius est vera de objectis, quæ mediâ specie impressa producunt sui notitiam, quam speciem fabricat intellectus, tribuendo illi effectivè vim (ut ordinariè loquuntur Auctores) coëfficiendæ intellectiois; quæ mediante, objectum, producit verbum de se, quod præter vim quam habet producendi illud verbum, habet etiam distinctionem realem à verbo. Quia verò non habet vim producendi verbum Divinum Spiritus S. & quia à verbo Divino non distinguitur realiter essentia, caretque vi producendi, fit, ut objectum quod est essentia, vel quod est Spiritus S. non sit principium productionis verbi, quamvis utriusque notitia ad productionem illam requiratur, ut sint prænotum, quod adæquato illo verbo exprimitur.

INSTABIS. Si Pater produceret Filium, ex notitia illius, præsupponeretur Filius ante se.

RESPONDETUR. Non præsupponitur realiter, quia in æternitate unum alteri non præsupponitur realiter: an autem sit supponendus ex modo nostro concipiendi; divisi sunt Auctores, Amicus cit. n. 111. docet notitiam verbi, sub ratione originis, esse priorem verbo. Suar. c. 5. n. 9. dici tamen, inquit, posset à nobis, tunc apprehendi filium per modum futuri; quia imperfectè cognoscimus, & apprehendimus illa signa, ac si in uno signo esset cognitio, in quo nondum est existentia objecti, quod revera ita non est, quia prioritas originis non est prioritas, in quo, sed à quo. Posset etiam dici, quod tunc non præsupponitur ante se etiam ex modo concipiendi Filius, quia hoc esset necessarium ad salvandam prioritatem originis; stat autem prioritas originis cum simultate rationis: & sicut in creatis Relativa sunt simul cognitione, & tamen unum illorum est ab alio; sic & in præfenti possumus esse simul notitia filii, & filius; licet ex notitia filii, seu sui originetur.

*Est necesse hic imaginari, quid sit prioritas originis*  
Et in primis illa non importat prioritatem aliquam naturæ; in Divinis enim est una natura; unde nulla prioritas naturæ; & tamen datur prioritas originis. Admittunt tamen aliqui in Divinis prioritatem naturæ, quorum meminit Ruiz de Trin. d. 61. l. 5. n. 13. Scotus simile quid habet apud Vasq. d. 143. c. 3.

Non etiam prioritas originis dicit prioritatem aliquam durationis; quia in iis, quæ æterna sunt, unum non est prius alio duratione, vocaturque hæc prioritas in Quo.

Nec item prioritas Originis quæ talis dicit intelligibilitatem unius sine alio; quia hæc etiam relativa in creatis non admittunt.

Stat itaque illa in hoc præcisè, quia hæc persona est ab hac, seu producit hanc.

NOTO ad solvenda alia argumenta, quod alia probationes, falso fundamento inni-



atur, ut cum assumunt à solo objecto primo specificari notitiam Patris. Rursus, cum ipse etiam personæ suo modo beatificent, cur non illarum notitia poterit requiri, ut Pater producat Verbum? Quando autem Cyrillus l. 1. Thes. c. 8. negat per prius Patrem doctum fuisse, quam sibi Filius nasceretur; locum hunc interpretatur Ruiz, quod S. Doctor negare voluerit id, quod Eunomius intendebat, nempe consilium præcessisse dirigens voluntatem ad operandum; vel negat prioritatem temporis, ut ex contextu colligitur.

## Punctum Difficul-

tatis 2.

De Creatis Obj. Etis.

Agitur in primis de Possibilibus, postea de futuris.

DICENDUM I. Verbum procedere ex cognitione possibilium creaturarum. Est Suar. Ruiz d. 63. l. 1. Amici d. 26. n. 127. Arriaga d. 53. n. 28. Martini d. 24. n. 75. Sed contra Vasq. tota disp. 14. & contra Scotum, Occamum.

PROBATUR I. Conclusio. Tum, quia Pater cognoscit intuitivè suam essentiam; Ergo & omnipotentiam, quæ sine creaturis possibilibus, ut necessariis terminis attingi non potest; non est autem ratio, cur ex illorum notitiâ non procedat verbum; aliâs verbum illud non esset adequatum; nec esset expressivum totius notitiæ paternæ. Tum, quia ut urget Ruiz, & Amicus, de ratione Verbi ut sic, est procedere ut declarativum, & manifestativum dicentis; Ergo de ratione Verbi increati, est procedere, ut declarativum, & manifestativum dicentis Patris; sicut enim se habet simpliciter ad simplicitatem, ita tale ad tale: jam autem Pater utpote omniscius & omnidicus, habet etiam notitiam creaturarum possibilium. Tum, quia ita docuit Aug. l. 15. de Trin. c. 14. & 15. Verbum Divinum est de omnibus, quæ sunt in Scientia Dei; nam si aliquid esset minus in Verbo, quam in scientiâ, non esset Verbum adequatum: ad quod alludit S. Thom. hîc q. 34. a. 1. ad 3. *Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum S. & omnia, quæ in ejus scientia continentur, concipit Verbum ut se tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.*

PROBATUR 2. Vel præinformatur Pater ante passivam productionem filii notitiâ possibilium, vel non? si non; Ergo non ex fecunditate intelligendi, sed ex necessitate, debet producere Verbum, ut ita reddatur intelligens possibile; Ergo ulterius habet aliquam notitiam Filii, quam vel non accipit à Patre, utpote intelligens Filius possibilis, quorum notitia in sui productione, non erat præinformatus Pater, vel

accepit illam postquam jam originatus est; unde jam erit duplex Verbum: vel dabitur aliqua compositio in esse manifestativi, repræsentativi, ratione scilicet advenientis illius expressionis, postquam jam originatus est Filius: Si autem est præinformatus intellectus Patris illâ notitiâ possibilem; Ergo illam exprimit etiam Filius personaliter: aliâs non totum exprimeret quod est in intellectu Patris. Quod asserere, esset contra sensum Doctorum, essetque Verbum Divinum possibile perfectius; nempe quod illa, etiam possibilia exprimeret, nec posset dicere Filius, *omnia mihi tradita sunt à Patre*, intellige exceptâ paternitate; siquidem hæc traditio, stat in hoc, quod est exprimere personaliter, suppositâ identitate in essentiâ; non exprimeret autem personaliter possibilia, siquidem illorum cognitio non spectaret ad originem illius.

PROBATUR 3. Argum. Neg. de quo supra. Non implicat id contradictionem: Ergo de facto est. Ad solvendas objectiones.

NOTO 1. Anselmus in Menol. c. 29. qui videtur esse oppositus, ita explicari debet, quod scilicet à temporali existentia creaturarum, non pendeat productio Verbi, nec illam expectet: unde etiam pro fundamento ponit id Anselmus, quod summus ille Spiritus sicut est æternus, ita æternè sui memor est. Legatur Anselmus pro nostra sententia à cap. 28. ad 44. ubi repetit; *Deum unico verbo suo dicere omnia*; item, *esse perfectissimum & verissimum respectu omnium creaturarum.*

NOTO 2. Ex supra dictis colligi, in primis, quomodo verbum non sit imago creaturarum? Item quomodo illarum notitiâ non se habeat concomitanter? Addi potest quia non est ratio unde desumatur, quod non nisi concomitanter se habeat illa notitiâ ad productionem Verbi; Si enim id ex eo desumatur; quia non est principale & primarium objectum; eodem jure dicam etiam ex attributorum notitiâ non originari verbum; quia etiam illa habent rationem posterioris in Deitate.

NOTO 3. Conformiter ad dicta Physica loquendo. Si per impossibile una creatura redderetur impossibilis, etiam verbum Divinum non originandum. Qui autem talem nexum negaret, diceret, non jam ita perfectum Verbum processurum. Erit autem questio de voce: An per locum intrinsecum, reddenda sit impossibilis productio verbi eo casu; ita enim redderetur impossibilis, sicut sublato termino redditur impossibilis relatio. Unde si per locum intrinsecum intelligas, quod scilicet per directam & immediatam consequentiam, & non argutivè reddatur impossibilis productio Verbi, eo sensu non redditur impossibilis illa productio: Si autem nomine loci intrinseci intelligatur, quod indispensabiliter & necessario reddatur impossibilis; id verum est.

Y 3 Deni.



Denique falsum etiam est, quod principium intelligibile, seu potius id ex cuius notitia procedit aliquid, debeat esse æquali necessitate necessarium cum eo, quod ab eo procedit; sed sufficit id verificari de principio productivo. Et sicut non producit substantiam, nisi substantia; & tamen prærequisita ad substantiam, non sunt semper substantia; ita licet debeat in Divinis æque esse necessarium produciens ac productum, non tamen objecta cognita debent esse singula, æque necessaria; licet ipsi notitiæ, possit tanta tribui necessitas, quanta ipsi verbo.

**NOTO 4.** Quamvis cognoscat creaturas possibiles Deus, quamvis item cognoscat, se esse completum principium earundem, adeoque cognoscat se esse Trinum, quia completum principium creaturarum, est tota Trinitas; inde tamen non sequitur ex notitia possibilem, non procedere Verbum, & si Verbum procedit ex notitia sui & Spiritus S. cur non procedere poterit ex notitia possibilem, ad quæ se extendit causalitas Verbi & Spiritus S.

Rursus in creaturis duplex possibilitas potest agnosci, Intrinseca & Extrinseca: Intrinseca ex modo nostro concipiendi non est omnipotentia subjecta stat in prædicatis intrinsecus, & illorum nexu, etiam à Divina omnipotentia immutabili: Extrinseca autem possibilitas est omnipotentia, utraque ergo possibilitas dicit necessitatem, si necessitatem, cur ea non sufficiat, ut ex notitia possibilem verbum origine- tur. Denique ad hoc dici potest, quod cum ab æterno sit & cognitio possibilem, & verbum, nihil illic prius est in re, prioritas autem signorum, originis ne quidem prioritatem rationis fundat, sub præcisa ratione originis.

**NOTO 5.** Quamvis essentia sit objectum primum, & secundarium creaturæ; licet illa prior sit nobilitate objecti, non tamen notitia; & sicut in correlativis utrumque extremum æque primò noscitur, sic & in præsentibus.

Unde admittimus, quod ratio formalis Quo sit prior intelligibilitate; non tamen id admittimus in præcisa formalitate originis, ad eum modum, quo causæ & effectus in linea causæ admittunt prioritatem, & posterioritatem; non tamen in linea relationis.

Concedimus, quod absoluta sint priora relativis, & quod notitia possibilem sit notitia quodammodo relativa, & quod illa noscere sit noscere aliquid quasi ad extra: quia tamen ipsum verbum est etiam respectivum ad extra; hinc non habet jam jus prævertendi, ut ita dicam, notitiam creaturarum. Quod autem verbum sit respectivum ad extra: Ratio est, quia per nos est manifestativum personaliter etiam creaturarum.

Hoc autem, quod assumitur, Interiora esse priora, adeoque quod à notitiâ essentia debeat præcedit notitia possibilem, id bene modificat

Amicus, si cætera sint paria: nam cognitio omnipotentia est prior productione Verbi; & tamen dicit respectum ad extra. Et sicut tunc non est ulla disordinatio in notitiis, ita & in præsentibus. Et sicut producere Verbum dicit intrinsecam perfectionem; ita eandem dicit notitia possibilem, quæ notitia adfert perfectionem omniscientiæ Divinæ, quæ completur ex omniscientiâ Increatorum, & Creatorum.

Unde etiam dici potest, quod notitia creaturarum beatificet patrem ratione medii, in quo noscuntur illæ creaturæ, nempe in omnipotentia. Et quod illa beatitudo pendeat à creaturâ terminativè & completivè, licet non primariò; hinc & nos completè beamur visione creaturarum in Verbo. *Quod ad cognitionem futurorum attinet.*

**DICENDUM 2.** Verbum procedere etiam ex cognitione futurorum. Est Conclusio Ruiz, Valentia, Arriaga, d. 52. n. 33. contra Suar. Vafq. Amicum, & Martinon d. 24. f. 6.

**PROBATUR 1.** Auctoritate. sit August. ex l. 11. Confess. c. 7. & ex Tract. 21. in Joan. & ex l. 14. de Trin. cap. 13. & 14. *Verbum Divinum est de omnibus, inquit, quæ sunt in scientia Dei, indubiè autem in illa sunt futura. Et ibidem. Quid, quid est in scientia Dei, de quâ natum est, Verbum in ipso est; Quod autem in ea non est, neque in ipso est.* Similia habet l. 83. quæst. q. 63.

2. Auctoritas. Ansel. in Monol. c. 30. *Vno igitur eodemque Verbo, dicit seipsum, & quæcunque facit, & c. 33. Idcirco cum ipse Summus Spiritus dicit seipsum, dicit omnia quæ facta sunt.*

3. Auctoritas S. Thom. hic q. 33. a. 1. ad 3. *Pater intelligendo se & Filium & Spiritum S. & omnia alia, quæ ejus scientiâ continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas verbo dicatur, & etiam omnis creatura.*

**RESPONDET** Martinon. Sufficit Verbum omnia noscere, quamvis non ex omnium scientiâ originetur, quod dicit omnia Verbo, seu se; quia creat per potentiam sibi communicatam.

**CONTRA** est. Tum, quia expressè Aug. contraponit Verbum, ipsum et scientiâ Dei, dicitque illud esse de omnibus, de quibus est scientia. Tum, quia nulla est necessitas refugiendi, ut ubi agitur de Verbo, illic intelligatur potentia Verbo communicata; phrasæ autem PP. debent accipi ut sonant. Tum, quia etiam in simili, Auctoritates, quæ adferri possent de notitia possibilem, possent explicari, quod agant de potentia ad possibilem, quæ communicatur filio, & non de personali eorum expressione.

**PROBATUR 2.** Restituendo rationes communes.

1. **RATIO** est. Verbum procedit ex perfectissimâ comprehensione essentia, voluntatis, omnipotentia quæ Divinæ; Ergo procedit etiam ex notitia futurorum; quia essentia est apta illa præ-



presentare, & quia futura, sunt objecta voluntatis, omnipotentiaque Divina.

RESPONDET Amicus. Scientia comprehensionis ea nosci, quæ spectant ad rem comprehensionem naturaliter, & necessariò, qualem connexionem non habent futura, alioquin nulla crearetur creata comprehensio; quia nulla creatura agnoscit libera decreta alius.

CONTRA est. Tum, quia si quis comprehenderet Deum per impossibile, prout est principium necessariorum, & non comprehenderet prout est principium liberorum, non comprehenderet adæquate; Ergo Pater si comprehendit seipsum adæquate, comprehendit etiam seipsum principium liberorum, & cur non ex illa notitia principabit Verbum? Tum, quia arbitraria est restrictio, quod ad comprehensionem requiritur notitia non nisi necessariorum. Tum, quia quod adfert de creaturis; non convincit: ergo enim ullam creaturam comprehendere adæquate aliam; neque enim ulla comprehendit potentiam alius obedientialem, quæ est ipsa creatura. Sed hoc etiam concessio nihil vincit, quia comprehensio debet attingere omnia, si cetera sint paria; quæ hic non sunt: Nam jus & bonum secreti, quod habet unaquæque creatura rationalis respectu alius, deponit, ut à Deo offeratur concursus ad sua noscenda decreta: tale autem jus non datur, ne Pater notat futura.

1. RATIO est. Pater supponitur habere antea notitiam filii notitiam etiam contingentium; non enim habet illam communicatam ab alio. Deinde Verbum est expressivum non solum necessariorum; sed etiam contingentium: non enim solum necessariorum, sed & contingentium notitiam accipit à Patre.

RESPONDET ex Amico. Filium accipere notitiam à Patre omnium, sed non æqualiter, scilicet necessariorum formaliter, contingentium radicaliter, quia scilicet communicatur illi primum fundamentum veritatum contingentium, quæ est ipsa scientia intelligentiæ.

CONTRA. Tum, quia Pater non solum radicaliter, sed etiam formaliter cognoscit contingentia; quia illorum notitiam non accipit ab alio, & ut dictum supra, omnem notitiam in antea habet; Ergo & Verbo illam communicat non radicaliter, sed formaliter. Tum, quia non sufficit communicatio radicalis scientiæ possibilium in clausa in scientia, & communicatione essentia; Ergo nec sufficit radicalis communicatio notitiæ contingentium. Tum, quia hoc ipso Verbum non esset, ut debet, adæquatum. Quod autem dicit, etiam originem activam Spiritus Sancti non accipere Filium formaliter, sed tantum radicaliter, id non convincit; quia origo formalis, est ipsa spiratio, profecta ab origine radicali, hoc est, vi spirandi, quam solam originem assumet Verbum ponit, & ponere debet; Si-

mile autem nihil ostenditur, si dicatur Verbo communicari notitia formalis contingentium.

RATIO 3. est à pari, quæ valebit ad retorquenda argumenta: Verbum procedit ex notitia possibilem; Ergo procedet etiam ex notitia futurorum.

PROBATUR 3. quia nihil obest; non enim obest, quia futura non habent tantam necessitatem, quantam Verbum ipsum; quia non est tanta necessitas possibilem, quanta essentia Divina; & tamen ex notitia possibilem procedit Verbum. Rursus, si futura in suppositione sui ad se spectentur, habent summam & indispensablem necessitatem. Nec obest, quia necessaria priora sunt liberis, quia etiam notitia essentia, prior est præ notitia attributorum, possibilem, &c. & tamen ex his originatur Verbum. Nec obest, si dicas, quod verbum sit quidem etiam de contingentibus; non tamen quod sit ortum ex illorum notitia: dicerem enim Verbum quidem procedere de possibilem, non tamen esse ortum ex notitia eorundem; inimaginabileque est, quomodo verbum sit de futuris; non tamen ortum ex notitia eorundem? sequereturque quod plura nosceret verbum, quam personaliter exprimeret, adeoque quod non esset adæquatum verbum, quod absurdum est.

#### Ad solvendas Objectiones

NOTO 1. Quod sicut concessit Suar. Quando verbum originatur ex notitia sui, habere illud rationem futuri; ita dicendo, quod ex notitia futurorum originetur verbum, posset illis tribui, ut ita dicam, futura futuri, pendens à verbo, ut ita dicam, futuro. Sed qui negaret & futuris & verbo rationem futuri, bene recurreret ad similitudinem præsentialem eorundem ad æternitatem, ad quam similitudinem, ut repetitò dictum est, semper est attendendum.

Propositio illa, quæ pertinet ad personarum Divinarum constitutionem sunt absolute necessaria, si faciat hunc sensum: Ex nullius notitia originatur verbum, nisi quod in se ipso est absolute necessarium, falsa est & petens principium: Si autem faciat hunc sensum: Absolute est necessarium, ut ex omni, quod est notum Deo, si sit in se, si sit ex suppositione necessarium, originetur verbum, sic propositio est vera, & nihil contra nos. Et sicut est absolute necessarium, ut Deus noscat tam necessaria in se, quam ex suppositione; ita & in præsentia. Concedemusque absolute loquendo, potuisse non originari verbum ex notitia futurorum; negabimus tamen supposita illorum futuri, posse ex illis non originari.

Si autem nulla futura fuissent futura, processisset verbum ex cognitione non futuræ futuri, tationis futurorum. Nec inde invehetur ulla mutabilitas in verbum; quia non est magis immutabile verbum, quam sit immutabilis scientia



divina. Sed contingentia futurorum non invenit ullam mutabilitatem in scientiam Dei, sed tota mutatio stabit in extrinseco connotato; ita & in presenti;

Nec inde sequetur, admittere nos aliquid superfluum in processione verbi; sicut nec admittitur aliquid superfluum in divina cognitione; quamvis liberorum cognitio, potuerit abesse à Deo.

NOTO 2. Quòd notitia futurorum, quæ habetur à scientia visionis, prioritatem quandam virtutalem habeat: Quia prius origine Filii, supponitur esse omniscius Pater, adeoque noscitur futurorum. Habet etiam & alio titulo prioritatem, quia communicat verbo, ut sit personaliter expressivum futurorum. Quanquam ut repetitò dictum est, sufficit sine ulla prioritatem, similitudo durationis & coexistentiæ in illa notitia. Porro sicut omniscientiæ divinæ ipsa visionis scientia adfert formalem expressionem, & representationem futuritionis exercitiæ, quam exercitam scientia simplicis intelligentiæ non attingit; ita adferet verbo ut sit personaliter expressivum formalis, & exercitiæ futuritionis.

Et sicut quamvis omnipotentia supra essentiam non addat nisi connotationem creaturarum, sicut & scientia simplicis intelligentiæ addit connotationem possibilem; nec tamen obest quo minus ex notitia utriusque procedat verbum; ita nec oberit, quo minus procedat ex scientia visionis, quamvis illa supra notitiam simplicis intelligentiæ, non addat, nisi connotationem futuritionis.

Unde negatur talem connotationem nullam intrinsecam perfectionem communicare verbo per modum termini; licet non communicet productivè, communicare, inquam, dicto modo; quia vi illius habet verbum, ut sit personaliter expressivum omniscibilitatis.

Et quamvis accidat verbo, quòd connotet creaturas, independentes ab earundem suppositione, non tamen accidit supposita illa suppositione, carereque potuisset illa perfectione verbum non supposita futuritione; licet carere non possit supposita futuritione, quod in simili de scientia dicendum esset.

NOTO 3. Quòd hic dictum est de notitia visionis, idem conformiter dici debere de notitia conditionata.

### DIFFICULTAS III.

*Quanam Processio in Divinis sit Generatio?*

ORDINARIÈ sic titulum proponunt Auctores. Quare nam processio Verbi, & non processio Spiritus S. sit generatio? Sed utrumque in idem recidit. Est difficultas quam graves Auctores censent non esse huius vitæ, sed sola fide resolvì. Ponit 9. diversas responsiones A-

micus d. 18. à n. 7. Non paucas Arriaga d. 47. Tota ratio difficultatis in hoc stat. Generatio est processio viventis à vivente, in similitudinem naturæ, productio Spiritus S. est processio à Deo viventis personæ in similitudinem naturæ, quia eadem est ejus cum Patre & Filio natura, cur ergo hæc processio non erit generatio? Præter hanc definitionem generationis præ oculis est habenda definitio ipsius naturæ, quòd scilicet per Aristotelem, sit principium motus & quietis. Interim explicationem difficultatis proponamus. *Sit*

### Punctum Difficultatis I.

*Respondetur ad quæsitum.*

SANCTUS THOMAS I. p. q. 27. a. 2. in corpore, Stationem hujus hanc reddit. *In Deo idem est, inquit, intelligere & esse, unde processio Verbi in Divinis dicitur generatio, & ipsum Verbum procedens dicitur Filius;* quasi diceret S. Thom. Ipsum verbum procedit per intellectionem, quæ intellectio est Dei naturæ spectata physicè, consequenter solum verbum vi suæ processiois erit in similitudinem naturæ. Fundatur hæc ratio imprimis in definitione Generationis, quæ definitur esse processio. Hinc S. Thom. ideò dicit intendi generationem à natura, ut producat per illam simile in natura, ut videre est apud eundem I. p. q. 41. a. 5. in corpore. *Omne produciens aliquid, ait, per suam actionem producit sibi simile, quantum ad formam quæ agit, sicut homo generat est similis generanti in natura humana, cujus virtute agit homo.* Fundatur rursus hæc ratio in eo, quòd scilicet formalitas naturæ competat intellectioni, cum ergo respectu verbi, forma quæ Pater generat, ut docet S. Thom. sit natura divina, hæc autem est intellectio, sit ut in illa intendat sibi assimilare verbum, consequenter illud ex vi suæ formaliter processiois erit genitum. E contra verò quia forma quæ produciatur Spiritus S. non est natura, sed volitio, ideò Spiritus S. ex vi suæ formalis processiois non procedit ut formaliter similis in natura; consequenter Spiritus S. productio non erit generatio. *Hoc ipsum*

EXPLICATUR imprimis tali discursu. Ad hoc ut aliquid dicatur esse, filius debet esse in similitudinem naturæ, ut constet ex definitione generationis. Rursus ad hoc ut aliquid dicatur esse in similitudinem naturæ, debet esse in similitudinem primi principii operandi; natura enim definitivè est primum principium motus, ly *motus* non pro mutatione accipiendo; quia Deo mutari non competit; & tamen competit habere naturam; sed ly *motus* accipiendo, pro operatione: Et quia principium primum operandi in cognoscitivo ente, est intellectio; quòd enim aliud? Præcipuè cum non ideò intelli-



patens aliquid intellectivum, quia vult; sed illud vult, quia intelligit; fit ut in cognoscitivo generante, debeat esse generatio, in ratione intellectio: & quia ratio intellectio formali competet verbo, & non Spiritui S. fit ut per regressum, solum verbum sit in similitudinem primi principii operandi, quod est intellectio: fit ut sit in similitudinem primi principii operandi, fit ut sit in similitudinem naturæ, si est in similitudinem naturæ, fit ut sit Filius. Idem

EXPLICATUR deinde sic, Spiritus S. vel procedit in similitudinem principii à quo producit, vel non procedit? Si non procedit, ergo non est Filius vi suæ processio: Nam hæc est in similitudinem naturæ, cum principio producente: Si procedit in similitudinem cum principio producente, ergo non est Filius; quia procedit in similitudinem ad volitionem; quæ est principium ipsius: Si procedit in similitudinem ad volitionem, ergo procedit in similitudinem ad id, quod non est primum principium operandi: Nam volitio, est quid sequens ad intellectio: nam, adeoque non est quid primum; Si non procedit in similitudinem ad id, quod non est primum principium operandi, non procedit in similitudinem naturæ: Si non procedit in similitudinem naturæ, non est Filius. Adde, quod hæc similitudo fundativa rationis Filii, debet esse ex vi processio: Nam homo qui assumetur ad creandum alium hominem, non diceretur genuisse illum, esseque Pater ipsius: Quia non ex vi processio, viventibus debet, similis illi esset in natura. Duo item fratres, sunt similes in natura, unus tamen non est Filius respectu alterius; quia non ex vi processio, ab illo, formaliter habet illam similitudinem.

Et si quis

EXPLICATUR 3. Omnis generatio ex definitione sua debet esse in similitudinem naturæ, ergo & aliqua; quia in omni materia verificata universaliter verificari debent & particulares; consequenter & divina generatio, debet esse in similitudinem naturæ. Porro hæc similitudo complex in præfenti cogitari potest. 1. Similitudine identitatis in natura, & hanc similitudinem habet etiam Spiritus Sanctus, utpote eodem cum reliquis personis naturæ. Rursum accipi potest similitudo in natura, deducta ex hoc ipso, quia secunda persona, est Verbum; tamen autem verbum ex ratione sua, dicit similitudinem cum objecto: Hæc similitudo, est quidem propria Filio, & non ita communis cum Spiritu Sancto, sicut prior; non est tamen sufficiens ad rationem Filii, imprimis quia generatio ista debet esse generatio physica; Ergo hæc similitudo physica; non autem pure intentionalis, qualis est similitudo petibilis, à formalitate verbi. Deinde, pone per possibile vel impossibile creaturam, quæ eliciat alium, qui in entitate sit substantia, pone illam

creaturam noscere seipsam, & quidem intuitivè, illa notitia erit substantia, ut supponitur, & erit similis intentionaliter, nunquidne jam illa notitia erit homo? Nunquidne jam habebit corpus, & animam? Nunquid notitia Angelica, si esset substantia, terminareturque ad suam noscendam substantiam, hoc ipso esset Filius. Ergo apparet similitudinem intentionalem, non esse similitudinem fundantem similitudinem quæsitam physicam, & sufficientem ad esse Filii.

Tertia similitudo est, quæ est aliquid simile producenti, in eo ipso in quo producit; & hæc est requisita ad generationem, cujus ratio est, petibilis ex ipsa definitione generationis, quæ dicitur esse, Processio in similitudinem; seu in eo in quo procedit, vel producitur similis. Quia verò sola secunda persona in eo, in quo producit, est similis naturæ, fit ut sola secunda persona, sit Filius. Quod verò sola secunda persona in eo, in quo producit, sit similis naturæ divinæ, hoc inde probatur, quia natura divina est de linea intellectio, & secunda persona in eo in quo producit, hoc est in ratione Verbi, est etiam de linea intellectio: Hinc fit, ut sola secunda persona, sit Filius. Quia verò Spiritus S. in eo, in quo producit, est de linea volitionis, utpote amor personatus, natura autem divina non est de linea volitionis, fit ut non sit similis Spiritus S. in eo, in quo producit, adeoque nec Filius.

DICES 1. cum amico. Constitutivum Dei, non esse intellectio.

RESPONDETUR. Quod natura sub formalitate naturæ, sit in Deo intellectio, non est articulus fidei, sed sola doctrina Theologica, fundata ut dixi in auctoritate Arist. hinc ratio etiam quam assumpsimus non est de fide, sed probabilitatis Theologica.

DICES 2. cum eodem, sequi ex hac doctrina Spiritum S. vi suæ processio non esse æque Deum, ac Filium, immo vi suæ processio non esse formaliter Deum, sed tantum proprietatem Dei, proinde vi suæ formalis constitutionis personalis, non esse æque Deum ac Filium, nec univocè personam divinam, nec processio ejus posse dici processio Dei; quia non tendit formaliter ad communicandam Deitatem. Idem arg. sic ulterius proponi potest; Spiritus S. ex vi suæ processio, essentialiter est Deus; Ergo ex vi suæ processio est similis in natura; consequenter processio illius, erit generatio.

RESPONDERI solet. Spiritum S. licet ex vi suæ processio secundariò, indirectè, & solum identicè ac materialiter, essentialiter sit Deus; non tamen primariò & formaliter; ad eum modum, quo vi verborum ponitur directè v. g. corpus, concomitanter autem sanguis; & ad eum modum, quo forma habet in se plures gradus entis, & tamen non nisi secundum gradum

R. P.  
MŁOD  
NOWSKI  
om. de. Z.  
VI



dum specificum primò & per se determinat & specificat, quamvis ad illam specificationem etiam reliqui gradus requirantur: Sic primò & per se processio Spiritus S. communicat amorem, quamvis identicè & materialiter communicet etiam Deitatem. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia decus adhuc formæ est, quòd nonnisi secundum rationem ultimam specificet, dedecus autem Spiritus S. esset nonnisi materialiter & identicè esse Deum, diffinitasque esset in sensu verborum, præcipuè attendendo ad placitum Christi D. si vi consecrationis corporis poneretur etiam sanguis directè, tale autem nihil in præsentia ostendipoteest. Tum quia si fieri potest debet salvari, ut Spiritus S. primò & per se sit Deus, & simul non sit Filius, ne ex hac inæqualitate materialiter & formaliter communicat Deitatis, detur cavillationibus locus. Tum quia satis videtur ad deferendam hanc responsionem, quòd concedat Spiritum S. vi processionis primò & per se non esse Deum.

RESPONDETUR 2. Negando sequelam; licet enim in eo, in quo producit, non sit similis in natura, sufficit ut vi productionis, in formalitate amoris personati, competat illi primò habere formaliter communicatam Deitatem, & licet Spiritus S. ex vi suæ processionis sit essentialiter Deus; quia tamen in eo in quo producit, non est similis in natura, fit ut non sit Spiritus S. Filius.

RESPONDETUR 3. Fundamento habito in S. Thom. hic p. I. q. 36. a. 2. in corpore, scilicet Spiritum S. habere Deitatem vi processionis divinæ; non autem vi processionis suæ, seu processionis per voluntatem. Nec inde sequetur, Filium Dei præ Spiritu S. perfectioni modo esse Deum; cum enim radix omnis perfectionis sit Deitas, quæ eadem in utroque est, fit ut eandem perfectionem utrique conferat.

ADDO. Condistingueudas esse has propositiones; ex vi processionis, habet formaliter communicatam, naturam divinam, Spiritus S. & aliam hanc: Ex vi processionis formaliter, habet communicatam, naturam divinam Spiritus S. Prior est vera; neque enim materialiter & identicè est Deus; alias non esset ita Deus, sicut Pater, & Filius, qui formaliter est Deus. Nec ex hac concessa sequitur illum esse Filium, quia ex eo, quòd aliquis formaliter sit homo, non sequitur esse Filium, sed tantum quòd sit homo formaliter, ex vi processionis, seu in eo in quo producit similis naturæ humanæ. Secunda autem propositio est falsa; reddit enim hunc sensum, ex ipso processionis modo, procedit Spiritus S. in similitudinem naturæ. Et si hæc esset vera, tum primò argueretur Spiritum S. esse Filium. Illustrari id potest tali instantiâ, si creetur homo ab alio homine, divini-

tus ad elevato, vera erit ista propositio, ex vi productionis, est formaliter homo; falsa autem hæc, ex vi productionis formaliter, est homo; quia reddit hunc sensum: Ex vi processionis formaliter, est illic similitudo in natura, adeoque generatio.

INSTAT 1. Ad hoc, ut dicatur, Petrus esse filius Pauli, sufficit, quia ex vi processionis est homo: Ergo etiam ad hoc, ut dicatur Spiritus S. esse Filius, sufficit, quia ex vi processionis, communicatur illi Deitas.

RESPONDETUR. Præter jam dicta, ex dictis hoc in particulari applicando, disparitatem esse, quia homo in eo, in quo producit, est jam in similitudinem naturæ, adeoque Filius; jam autem in Divinis, non omne quod producit, in eo in quo producit, est de linea intellectio- nis, seu in similitudinem naturæ divinæ.

INSTAT 2. Spiritus S. habet naturam divinam; Ergo est in similitudinem naturæ, habet etiam communicatam ab alio, ergo ex vi processionis.

RESPONSUM est jam, ex vi quidem processionis, sed non in eo, in quo producit habendo similitudinem quæsitam.

INSTAT 3. Amicus, Spiritus S. ex vi suæ processionis formaliter producit, ut hypostasis divina; nam quidquid est terminus per se productionis, per se procedit vi productionis. Hypostasis Spiritus Sancti, est per se terminus spirationis passivæ; Ergo per se vi suæ processionis, procedit, ut subsistens in natura divina. Quod ipsum ulterius in hoc fundatur, quia hypostasis immediatè ordinatur ad naturam, quàm ad proprietates naturæ: Sed per nos volitio non est natura, sed Proprietas naturæ; Ergo hypostasis Spiritus S. vi suæ processionis, formaliter non procedit, ut immediatè subsistens in volitione, sed in natura divina.

RESPONDERI potest. Spiritum S. ex vi processionis formaliter non procedere ut hypostasim divinam; sed ut amorem subsistentem. Ratio, quia id primò formaliter & per se est terminus productionis, quod primò & per se respondet principio productivo; principium autem productivum Spiritus S. est volitio, cui primò & per se respondet amor. Et quia hic amor productus, non distinguitur virtualiter à subsistentia, fit ut procedat tertia persona tanquam amor subsistens. Idemque proportionaliter dicendum de verbo, quod procedit tanquam intellectio personata. Quod si ulterius quæras, quæ sit distinctio inter amorem, v. g. subsistentem, & inter hypostasim divinam? Hæc assignari poterit, quia in amore subsistente est concretum, quod immediatè non dicit naturam, sed de linea volitionis, terminum subsistentem; jam autem hypostasis divina, dicit concretum ex natura & subsistentia. Hinc illa propositio; Hypostasis immediatè ordina-

tur



ad naturam distinguenda est; quod vera sit  
de creatis, quia in creatis nihil producit sub-  
stantialiter & terminabiliter à substantia, nisi  
natura. Nec inde sequetur, quod verbum im-  
mediate non procedat in similitudinem naturæ,  
quod verbum sit intellectio personata; suf-  
ficiat enim quod in quo producit, & quo pri-  
mo terminatur, sit in similitudinem naturæ;  
quia est de linea intellectio.

Sed hic urgetur auctoritas Joannis Theolo-  
gici Flor. Sess. 18. & 19. sed illic non plus vult  
Joannes Theologus, quam quod natura exigi-  
ta etiam substantiæ Spiritus S. concurrat  
et principium communicativum, hoc est exi-  
gens communicari.

Ad instantiam hanc tertiam, etiam fultam  
hac auctoritate sic aliter, responderi potest.  
Transseat quod producat Spiritus S. ut hypo-  
stasis divina, transeat quod hypostasis imme-  
diatus ordinetur ad naturam; inde non seque-  
tur fore jam Spiritum S. Filium: Quia in eo, in  
quo producit, non est in similitudinem natu-  
ræ, quæ est intellectio.

### Punctum Difficulta- tis 2.

*Obiicitur principalis Obiectio, & proponuntur  
aliorum Explicationes.*

Dicitur 3. Natura divina non minus est in-  
tellectio, quam volitio: Ergo cum Filius  
in eo, in quo producit sit de linea non nisi in-  
tellectionis, non erit in similitudinem naturæ;  
quia ipsa natura, est etiam volitio.

Hæc obiectio ut solvatur, decidenda venit  
quæstio. *An intellectio & volitio distinguantur  
virtualiter*: Si enim non distinguantur  
virtualiter; æque etiam volitioni atque intel-  
lectioni competet esse naturam: Attigimus hoc  
punctum discurrendo de hac propositione, in-  
tellectus generat, diximusque attendendo ad  
verba PP. ex quibus illic argum. procedebat,  
ex quas examinare unicum erat intentum, quod  
non ita clarè colligatur. Sed nunc de ipso ob-  
iecto, quantum quidem conformiter ad tuen-  
dam præsentem rationem dicendum sit, discu-  
tenda venit.

RATIO 1. est ponendæ talis distinctionis:  
Quia non potest melius ostendi; cur processio  
sive sit generatio, quam hæc, quia Filius in eo  
in quo producit, est de linea intellectio, sed  
ipsa autem natura divina, est intellectio: Sed  
composita distinctione virtuali inter intellectio-  
nem, & volitionem, non poterit hæc, defendi  
rati: Quod ipsum prob. quia illa natura nemi-  
recogitante, non minus erit intellectio, quam  
volitio: Ergo si Filius est in similitudinem na-  
turæ, deberet esse in eo, in quo producit, &

de linea intellectio, & de linea volitionis,  
quod falsum est. Hoc ipsum sic aliter declara-  
tur, quia duo tantum essent modi defendendi  
hanc rationem. Primus, quo utitur Quiros d.  
15. à n. 163. Quia Filius, ut realiter distinctus à  
suo principio producente, est similitudo produ-  
ctæ illius speciali ratione: Sed hoc non subsistit;  
quia similitudo dicit convenientiam ab utrinque;  
quæ autem hic convenientia, si Filius dicit non-  
nisi intellectio, productam; natura autem  
etiam volitionem? Secundus modus est, quem  
etiam, supra adhibuimus ad evitandas phrasès  
PP. quia scilicet simile est brutum homini ra-  
tione animalitatis, & non ratione rationalitatis,  
quamvis hæc duo sint indistincta virtualiter; ita  
etiam quod possit esse Filius in similitudinem  
intellectionis, & non volitionis; licet hæc in-  
ter se virtualiter non distinguantur: sed ad de-  
fensionem præsentis rationis, id non conducit;  
Si enim natura est simul etiam volitio, & Filius  
est in similitudinem naturæ, deberet etiam esse  
in similitudinem volitionis; ad eum modum,  
quo si brutum in natura esset simile homini, de-  
beret esse simile, etiam rationalitati. Deinde  
brutum est simile homini ratione connotato-  
rum extrinsecorum; neque enim ratione recti,  
est simile; Filius autem debet dicere similitudi-  
nem in ipso recto, in ipsa natura; rectum autem  
diceret & intellectio, & volitio. Et sic  
ut ad Filiationem creatam non sufficit similitu-  
do præcisè ratione connotatorum; ita nec suffi-  
cit ad filiationem increatam.

RATIO 2. est, quia ubi reperiuntur similia  
prædicata, his: Natura communicatur, Pater-  
nitas non communicatur, illic reperitur distin-  
ctio virtualis; sed in præsentia talia prædicata re-  
periuntur, quia producta intellectio passiva,  
seu verbo, hoc ipso est processio in similitudi-  
nem naturæ, & producta amore passivo, seu Spi-  
ritu S. non est processio in similitudinem natu-  
ræ; Item Filius hoc ipso quia est in similitudi-  
nem intellectio, est in similitudinem naturæ,  
& Spiritus S. hoc ipso, quia est in similitudinem  
amoris, non est in similitudinem naturæ, &c.  
Ergo habentur prædicata similia huic, natu-  
ra communicatur, Paternitas non communi-  
catur.

RATIO 3. est, quia argum. in oppositum non  
convincunt; ex alia parte ad defensionem al-  
latæ rationis, est hoc necessarium. *Ad solven-  
das rationes*

NOTO 1. Quod ad salvandas locutiones PP.  
sufficiat ut volitio, & intellectio sit idem reali-  
ter, sufficitque ut natura divina sit idem realiter  
cum eo, quod sibi complacet in suo cultu, &c.  
sitque radix volitionis.

NOTO 2. Quamvis natura sit perfectio sim-  
pliciter simplex, non est necesse, ut omnem per-  
fectionem formaliter contineat; neque enim  
id

R. P.  
MŁOD  
NOWSKI  
om. de Z:  
VI



id deponit illius definitio. Deinde cum perfectum sit id, quod est debitum, cum intellectui non sit debitum spirare, quamvis non spiraret, adhuc poterit intellectio, esse perfectio simpliciter simplex.

NOTO 3. Quomodo salvandum sit: Quod intellectio sit primum principium motus in Divinis? Alii dicunt, quomodo sit radix volitionis? de quo discurrentem consule Arriaga à n. 65. Hoc breviter teneri potest, Primitatem hanc in hoc stare, quod licet intellectio & volitio sint idem realiter, & utraque ab aeterno, nihilominus quod non ideo se Deus intelligat, quia amat, sed quod ideo amet, quia intelligit. Et licet radix physica, debeat distingui realiter à radicato physico, non tamen radix virtualis: Si autem quæras quæ sit ista radix? & quæ illi conveniant prædicata contradictoria? recurrendum erit ad rationem secundam. Licet item radix virtualis, debeat id facere, quod & realis, non sequitur quod realiter debeat producere, & principiare volitionem; quia id quidem debet præstare radix virtualis, quod & realis, sed salva indistinctione reali, quæ indistinctio non salvaretur, si realiter intellectio, volitionem præcederet, vel produceret; nam hoc utrumque arguit distinctionem realem.

Et sicut inter naturam & paternitatem datur distinctio virtualis in ordine ad communicari & non communicari; non tamen ad omnia prædicata; ita & in præsentia dabitur in ordine ad hæc prædicata, quæ requiruntur ad salvandam processionem verbi, non tamen ad alia.

Ex quo colliges, neque illam dandam in aliis prædicatis absolutis, quia ad nullum defendendum mysterium, id est necessarium.

Neque verò si ponatur hæc distinctio, dabitur major identitas in creatis, quam in increatis; nam nusquam in creatis intellectio & volitio identificantur realiter; quanquam sicut negata distinctio virtuali inter animalitatem, & rationalitatem, ad defensionem mysterii conceditur illa, inter naturam & paternitatem; ita & in præsentia.

#### Explicationes aliorum.

EXPLICAT I. Bonav. &c. Verbum dici genitum, quia procedit per modum naturæ, non autem Spiritum Sanctum, quia hic procedit per modum voluntatis. Hæc explicatio nisi cum nostra coincidat.

NON SATISFACIT. Tum, quia de hoc ipso quaeritur, cur Filius procedat per naturam? Tum, quia illa ipsa volitio est natura Divina, cur ergo procedere per illam, non erit procedere per naturam? Tum, quia ly *procedere per naturam* quid est? Si importat procedere per determinationem ad unum, etiam datur determinatio ad

producendum Spiritum Sanctum; Si importet procedere ex inclinatione & fecunditate naturæ; competit id etiam Spiritui S. Si ly *per modum naturæ* importat procedere non supposita alia operatione substantiali, unde de hoc, quod tale procedere importet filiationem?

EXPLICAT 2. Cajet. &c. Ideo secundam personam esse Filium; quia procedit per intellectum, adeoque est Verbum; Omne autem Verbum dicit similitudinem. Addit Perez de Trin. d. 3. n. 69. Intentionalem similitudinem solam non sufficere ad Filiationem, sed sufficere cum identitate in natura. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT, quia jam est impugnata. Deinde sola identitas in natura, non sufficit ad filiationem, similitudo intentionalis non est etiam differentialiter Filiatio, quomodo ergo utrumque conjunctum constituet Filiationem? ad eum modum, quo si animalitas differentialiter non constituit hominem, nec etiam rationalitas, quomodo juncta constituit?

EXPLICAT 3. Vasquez cum Rosner. Ideo secundam personam esse Filium, quia est imago Patris ad præsentandum expressa. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum, quia nomine imaginis in re ipsa, & seclusa vi vocis, vel venit identitas in natura? & hæc competit etiam Spiritui S. vel nomine imaginis venit expressio intentionalis? & hæc jam impugnata: quæ autem est tertia? Tum, quia in creatis, quod Filius sit imago Patris, non aliunde habetur, quam quod sit ab illo productus, & habeat similem naturam; hoc autem totum competit etiam Spiritui S. unde semper restabit inquirere, (nisi velis recurrere ad nostram sententiam) quid sit illa proprietas nata representare, & quidem constituendo in ratione Filii? Tum, quia concedimus quidem esse Filium imaginem Patris, sed non nisi secundum explicationem à nobis positam.

EXPLICAT 4. Zuniga, & Hurt. apud Perez; Ideo secundam personam esse Filium, quia accipit naturam fecundam, cum virtute illam communicandi alteri, hoc est Spiritui Sancto.

NON SATISFACIT. Tum, quia præter formalitatem spirantis, habet etiam formalitatem Filii, Verbum, & quidem condistinctam; quia illa prior est communis; ratio Filii non est communis; Ergo apparet quod in ratione Filii, non constituatur vi illa producendi, utpote condistincta. Tum, quia prius est esse in ordine ad se, quam in ordine ad aliud; Esse autem Filium, est esse in ordine ad se; Ergo in hoc ordine, non constituetur per esse ad aliud. Tum, quia nunquam communis apprehensio, ideo Paulum dicit esse filium Petri, quia potest generare alium. Tum, quia quamvis concedant DD. quod si Spiritus S. non procederet à Filio, non



non distingueretur ab illo; tamen non dicunt, tunc secundam personam non fore Filium; ergo apparet quod filiatio, non sit desumenda ex processione. Tum quia vel ad rationem filii spectat accipere naturam cum vi communicandi eodem modo, quo eam habet Pater vel diverso modo? Si eodem, ergo secunda persona non est Filius: Non enim habet vim generandi: Si diverso modo, quid ille faciet ad hoc, ut dicatur generari? Tum quia quamvis de ratione naturæ, sit esse principium operandi, id verum est de operatione, quæ sit vitæ exercitium; quod convenit etiam Spiritui S. sed non de operatione productiva personaliter, convenietque in modo essendi, & operandi vitaliter, sed non in modo producendi personaliter.

## DIFFICULTAS IV.

De Connexione inter procedere, & distingui.

Particularius titulum sic alii proponunt: An si per impossibile Spiritus S. non procederet à Filio, distingueretur à Filio?

PRÆMITTO 1. *Quis sit sensus Auctorum in hac materia?* Negant distinguendum, S. Thom. apud Thomistæ, Suar. Vasq. Valen. Ruiz, Grinad. Amicus d. 27. Arria. d. 53. f. 4. Oppositum sentit Scotus, Aureolus, Henricus, Bocconius, Lichetus, Rubio, Greg. Gabriel, Palacios, Faventius, & Pontius d. 10. n. 24.

PRÆMITTO 2. *Quod sit suppositio impossibilis, ut non procedat Spiritus S. à Filio;* Est enim hoc per fidem nostram essentiale Filio.

PRÆMITTO 3. *Quomodo sit formanda hæc suppositio, ut non tollat seipsam?* Gotfredus quod 147. 4. apud Scotum in 1. d. 11. q. 2. sub initium, ponit, istam suppositionem esse impossibilem tollentem seipsam; ut hoc evadatur; non est tantum in hoc solo, quod Spiritus S. non procedat à Filio; nisi enim ponatur aliquod illius esse, merum non procedere sine ullo addito, fundare non potest realem positivam, de qua hic queritur, distinctionem; nec sufficit ponere, quod si esset Spiritus S. & non esset Filius à quo procederet, distingueretur realiter à Filio, sic enim etiam præcinderetur, filium discurrendi. Rursum, non debet poni manens persona cum omnibus, quæ nunc habet; quia Suppositio tolleretur seipsam: Supponeretur enim omnia habens, quæ nunc, & tamen non habens cum spirandi.

Itaque sic formari suppositio debet, ut eam etiam oppositi formant cum Ruiz hic f. 3. n. 3. si per impossibile Spiritus S. non secundum integram rationem Spiritus S. sed secundum hanc præcise rationem formalem, quæ est procedere à Patre per voluntatem, existeret, similiterque supponatur existere filius, secundum præ-

cisam rationem filii abstractam à ratione spirantis, distinguerentur ne?

DICENDUM 1. *Secundum dictam hypothesin distinguendo realiter.* Censuratur quidem hæc sententia à Ruiz, & ab aliis non nominatis apud Vasq. & Zumel. sed Vasq. c. 3. docet, non esse censurandam, cui accessit Arriaga, & post illum Amicus n. 60. dicitque contra illam nullum esse apertum Ecclesiæ, aut Concilii testimonium, & alioqui inquit ille, habet graves auctores.

PROBATUR 1. Auctoritate Anselmi, qui de processione Spiritus S. c. 2. *Quomodo, inquit, Filius existit de Deo nascendo, & Spiritus S. procedendo, ipsa diversitate nativitatis, & processionis referuntur ad invicem, ut diversi, & alii ab invicem.* Ubi ut vides distinctionem non in oppositionem producentis & producti; sed in diversitatem nativitatis & processionis refert. Deinde in fine ait; *Filius autem ut interim aliam causam dicam, quoniam nondum constat, quod Spiritus Sanctus de illo sit, & procedat, ideo non est Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus est Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus vero S. non nascendo sed procedendo.* Et certe nunquid ante definitam processionem etiam à Filio, indistinctas illas personas imaginabatur Ecclesia?

PROBATUR 2. Tum quia implicat contradictionem, duas personas esse, & non esse distinctas realiter; essent enim duæ, & non essent: sed adhuc tunc essent duæ personæ, quod prob. quia vel ponis in illa suppositione personam filii, licet jam aliam & aliter se habentem, vel non ponis? Si non ponis, facis contra debitum suppositionis, ut dictum est, & saltem adstruis distinctionem realem negativam inter personam & negationem alius personæ; si autem ponis etiam filii personam, ergo ponis duas. Tum quia vel supponitur manere, eadem formaliter, licet non realiter filiatio prout illa distinguitur spirationi activæ, vel non supponitur manere eadem? Si supponitur manere, ut voluit Vasq. d. 147. n. 2. Ergo sicut nunc distinguitur realiter etiam filiatione, etiam tunc distingueretur: Si autem non ponis, destrues suppositionem. Tum quia si per impossibile essent distincti duo filii in Divinis, distinguerentur adhuc realiter; Ergo etiam distingueretur tunc Spiritus Sanctus ab illo filio. Tum quia illa tertia persona, vel esset filius replicatus, vel pater replicatus, vel tertium ab utroque distinctum? Non supponitur esse filius replicatus; hoc enim non vult suppositio; & quis dubitat replicatum à seipso, non distingui realiter? Si autem est Pater replicatus, quomodo supponis procedere illum realiter à Patre? Si autem sit aliquid tertium, illud erit distinctum realiter, quod sic prob. Quotiescunque aliqua duo sunt distincta realiter à tertio, etiam inter se distincta sunt realiter, sed illæ duæ personæ essent distinctæ realiter à patre, quia

Z

pro-

R. P.  
H. MŁOD  
NOWSKI  
om. de. Z.  
VI



productæ; Ergo etiam inter se essent distinctæ realiter. Major prob. Inductione, neque ei opponas, quia animalitas & rationalitas distinguuntur realiter à Gabrielitate; & tamen non distinguuntur realiter inter se; nam hæc sunt nonnisi formalitates, & conceptibiles, tunc autem verbum comparatum ad Spiritum S. non esset formalitas illius. Tum quia vel adhuc tunc produceret Filium, & Spiritum Sanctum Pater, vel non produceret? Si non produceret, auferret statum quæstionis; supponitur enim à Patre procedere; si producit, quæro an tunc dum producit filius, etiam ex parte Patris, producit realiter Spiritus S. vel non? Si non producit, ergo auferret statum quæstionis, quia jam non ponis ullam personam Spiritus S. etiam per ordinem ad Patrem, nisi unum filium, qui indubiè à seipso non distinguitur realiter; si producit realiter, tunc etiam Spiritus S. ergo illa producta sunt distinctæ realiter inter se, quia etiam secundum illam suppositionem, respectu patris, hæc quidem persona esset filius, illa non filius, orieturque hæc distinctio ex modo procedendi à patre.

PROBATUR 3. Ratione, quam sibi etiam oppositi proponunt, de facto Paternitas & Filiatio distinguuntur realiter à Spiritu S. & tamen non opponuntur illi relativè: Nam illi solum opponitur relativè spiratio activa, vel in concreto spirans; Ergo & tunc sub formalitate Filii posset distingui. Ant. ita prob. apud amicum, si quæ Filius non distingueretur, esset idem cum Spiritu S. sicut Pater quia quæ spirans non distinguitur à Filio, est idem cum filio.

RESPONDET 1. Arriaga cum Suar. Filiationem & Paternitatem opponi Spiritui S. tanquam principium constitutivum Quod: Oppositio enim propriè reperitur, inter principium Quod, & inter terminum productum: Ergo Filius ut principium Quod, Spiritus S. debet ab illo distingui, sed non per essentiam, quia hæc est communis: Non per spirationem activam, quia hæc non constituit principium Quod; Ergo per filiacionem.

CONTRA EST. Quia hæc responsio concedit argumento, quod intendit, scilicet Filiationem & Paternitatem opponi Spiritui S. tanquam principium constitutum Quod; Ergo & tunc opponerentur.

RESPONDENT 2. Thomistæ Neg. Filium distingui filiacione, eò quod in Divinis non sit idem principium distinctivum & constitutivum; nec tamen per eosdem Thom. Filius, est idem filiacione cum Spiritu S. quia licet filiatio non sit formalis ratio distinguendi personam Filii; Est tamen ratio formalis constituendi; formale autem constitutivum personæ unius, non est idem cum constitutivo alius.

CONTRA EST. Tum quia quod in Divinis alio constituentur, alio distinguuntur personæ,

probatur per hoc ipsum, quod est in quæstione, hoc est per præsentem difficultatem. Tum quia non est ratio, cur ipsum etiam constitutivum, non distinguat realiter. Tum quia distinctio realis nihil aliud est, quam alietas realis unius ab alio: Sed in ipsis constitutivis personarum, datur alietas realis unius constitutivi ab alio; Ergo dabitur in ipsis constitutivis distinctio realis: Suppono autem mansura tunc constitutiva personarum.

RESPONDENT 3. Alii. Opponi filiacionem Spiritui S. vel quia est radix spirationis activæ, eamque includit, vel quia est subsistentia personæ, quæ producit Spiritum S. vel quia Filiatio licet non sit spiratio activa; est tamen receptio actualis illius.

CONTRA EST. Tum quia filiatio in illa formalitate, in qua non includit spirationem activam, in qua non est radix ejusdem, sed consideratur sub sola formalitate producti filiati, adhuc distinguitur à Spiritu S. nec est idem in hoc genere cum illo; adhuc enim in hoc genere est persona, & non quid commune Spiritui Sancto; Ergo cum hoc suo modo mansurum sit in suppositione illa impossibili, adhuc distinguet. Tum quia, quamvis filiatio sit subsistentia personæ producentis, tamen etiam sub formalitate præcisæ subsistentiæ, non est idem cum Spiritu S. Ergo adhuc distinguetur. Tum quia non solum id, quod recipitur, sed & id quod recipit, non est idem realiter cum Spiritu S. Ergo adhuc distinguit; hoc autem tunc suo modo maneret.

DICENDUM EST 2. Casu quo filius esset intellectio & volitio passiva, nihilominus alià productione poneretur filius, alià Spiritus S. adhuc distinguerentur realiter.

PROBATUR iisdem Rationibus, quibus supra.

DICENDUM EST 3. Casu, quo Filius esset intellectio passiva, & volitio; neque tamen jam produceretur Spiritus S. ab ipso et Patre, alià productione, non distingueretur tunc ab alio.

RATIO quia idem à seipso non potest distingui realiter. Ergo nec Filius, si simul esset volitio passiva, distingueretur à Spiritu Sancto, qui est volitio passiva. Sed nego ita formari debere suppositionem. Tum quia ita debet formari, ut det quæstioni locum; hic autem non datur. Tum quia non videtur esse ulla connexio inter hoc, quod est procedere nonnisi per modum intellectiois passivæ, & inter hoc, quod est procedere tanquam volitionem passivam; nec enim hæc habent se sicut definitio & definitum, nec ita se habent, ut uno formaliter affirmato, hoc ipso aliud negetur formaliter; Ergo separatio illa potest supponi non per suppositionem tollentem seipsam. Ergo potest supponi adhuc Pater producat Spiritum S. quamvis ipse Filius supponatur esse intellectio & volitio passiva.

Tum



Tum quia formalitas generationis est soli filio debita, spiratio autem activa, est quid commune. Cur ergo mutata spiratione activa, debet supponi formaliter de toto mutari generatio? Tum quia potest supponi animalitas Petri sine rationalitate, ergo & generatio sine spiratione activa, quæ sit à Filio, sed quæ sit solum à Patre.

Ad solvendas Objectiones

NOTO 1. Auctoritatem S. Thom. hic q. 36. 2.2. in corpore non esse contra nos, ait enim ita:

*Spiritus S. ita necessario procedit à Filio, quod si non procederet, non distingueretur ab eo personaliter, ubi nihil agit de suppositione impossibili, & quidem tali ut à nobis formatur. Titulus articuli procedit de eo, quod de facto est, idemque ostendit corpus articuli. Legitur textus. Adduci solet auctoritas Flor. sed invenitur Valq. illam falsificari contra nostram sententiam. Ad alios PP. quid sit dicendum*

NOTO 2. Quod secundum præsentem ordinem, secundum articulum fidei, Scripturæ & Patrum roboratum, & secundum aliquid nobis notius, sola oppositio producentis & producti arguat distinctionem realem: sed nihil agunt de suppositione impossibili. Et sicut fides & auctoritas non ponit aliam filiationem, quam quæ sit productiva Spiritus S. nec tamen vetat,

suppositione ponere per impossibile alium filium, sic nec vetat ponere, aliam distinguibilitatem.

NOTO 3. Posse nos concedere, quod tunc distinguerentur relationibus disparatis Filius & Spiritus S. quamvis autem relatio spirationis activæ, & paternitatis, non distinguant realiter, hoc inde est, quia relatio illa est quid commune ut fides docet, communia autem non distinguunt realiter; jam autem in casu suppositionis, productio utriusque, non esset communis, & comparatè ad Patrem utraque persona existeret, produceretur, &c. Hæc autem distinguunt sufficienter realiter. Unde productio Filii esset per modum naturæ; sed personaliter, & productio Spiritus per modum voluntatis personaliter, adeoque sufficienter addistingui.

Sed quomodo Spiritus S. haberet tunc rationem tertiæ personæ?

RESPONDETUR. Haberet rationem tertiæ, non ratione productionis à filio, sed numerice, quia scilicet ubi est præter duo unum, illic est tertium, undecunque numerum inceperis. Immo posita distinctione virtuali intellectiois à volitione, ostendetur etiam illo casu, prioritas Filii, præ Spiritu Sancto.

## DISPUTATIO ULTIMA.

### De Sanctissima Trinitate controversæ.

**R**amissimus initio hujus Tractatus, duas eum debere habere partes: Absolutis proinde iis, quæ magis speculativa sunt, accedendum ad ea, quæ sunt Controversia. Quamvis verò ordinariè hoc loco hæc materia non tractetur; placuit tamen ejus tractationem hic annectere; præsertim, cum pleraque quæ nobis Adversarii de hoc mysterio opponunt, ex principiis merè Theologicis sint refellenda. Porro; Duplicia erunt argumenta Arianorum, quædam merè Scholastica, adeoque solubilia scholasticè tunc quæ hic, & in Metaphysica, dicta sunt de distinctione virtuali, & toto tractatu, de Sanctissima Trinitate, scholastico, erunt objicientibus prænotanda; Alia autem objiciuntur ex sacra Scriptura, & hæc explicanda erunt, per loca alia sacra Scripturæ, per explicationes à sanctis Patribus traditas, &c.

**A**rianismi nomine veniunt duo; imprimis errores Ario proprii, quos non quidem primus orbi intrusit, sed notabilius defendit, de quibus infra. Deinde veniunt errores quocunque modo consubstantialitatem Personarum agnitarum negantes. Ex quo furtamento, Racovianæ scholæ, sive Magistri, sive Discipuli apud nos Ariani vocantur. Quos non immerito Petavius in Proemio Lib. 3. de Trinitate appellat Ebionitas; Ebion enim qui-

dam negavit consubstantialitatem Trinitatis, & VERBUM quod in carnem delapsus est, docuit non aliud esse, præter sonum vocis; Omne initium Filii Dei ex Maria concedens: appellantur iidem Photiniani à Polonis Scriptoribus, quia Photinianorum error negabat etiam consubstantialitatem personarum distinctarum trium, negabatque æternam generationem Filii, stando in temporali illius generatione.